# PRÆFATIO.

ad

ILLVSTRISSIMũ ac REVERENDISSIMVM ARCHIPRÆSVLē SVVMq; DOMINVM ac MECÆNATEM COLENDISSIMVM.

Nimiam hac in re exìstimo intrasse me audaciam, cùm excelsam Tuarum Laudum Virtutumq; Claritatem humili sepia mea impedire allaborem. Archipræsul Emeritissime. Excedit quippe fatiscentis sphæram ingenij Diuinioris mentis acumine penetranda, orbi Rossiaco non ignota, Tuorum Meritorũ magnitudo; quæ, in auge perennaturæ adoreæ sistens, ineptum mihi coarctauit ingenium. Prænobile Tuæ Te cum simul genitæ Probitátis tributum, nusquam ad calculos temporarios reuocandum, enumerare vereor, ne limitans ob debilitatem expauescentis animi, obsequij loco offensionis in me inducam tesseram; desinere nõ possum; ne hodie totius orbis complaudentis felicissimo Tuo in Cathedrâ ingressui, apertis præditus fuero supplicijs. Nequit enim de Te ferre silentium Roxolanorum Patria, quin altum Iudicium de Talentis Tuis habuerit; nequit plausus de Tuo collato hodie Tibi Regimine, lætumq; non laxare animum, quin dotes in honorata Corporis Tui symmetria, venerabunda explicauerit. *Dabit ipse Coronam Factus Honos Cælo & referet Diademma labori.*

Quoties excelsum Gloriæ Tuæ oratoriâ pennâ luctor peruolare apicem, toties Icarius volatus, ancipiti dat obuiam intellectui, cùm cerea hæc penna sit, ad diffusum Virtutum Tuarũ fulgorem liquefieri debet. Inquantûm fortior conatum excelsa honorariæ Tuæ Domûs permeare fastigia, intantùm gyrante vortice profundum conspicio pelagus. anceps dubiusq; hæreo, an gratiarum an indignationis irreparabilis casurus in flumina. Quòniam in decantandis Tuarum Laudũ præconijs, sagacissima conticuêre ingenia, in admiranda Meritorum congerie altissimarum euanuit conceptus mentiũ, quô magis his difficile, eô magìs in imis meo delitescenti animo Tui Nominis Honorati grauitatē enarrare impossibile, arguente vate; *Desine peruicax* *Horát. Lib: 3.* *summa modis tenuare paruis;*

Ipsa mens Rossiæ, KijouoMohilæana Mineruanumerosis Tuis adimpleta Beneficiis, prius vberrimam Sapientiæ â Tuo prænobili ingenio cõmunicãs Lucem, postmòdum Largâ Dexterâ, quæ fluuios superabat Iberos aurea dona vomens. suam recuperans egestatem, haud possit interminatam Gloriæ Tuæ metiri vastitatem. Struant ingenia eius præaltos triumphorum obeliscos, inscribant auro cedroque Tuum Nomen Immortale, plùs vltra adhuc extēdetur Tuorũ beneficiorũ magnificētia, nullo debiti Cultûs obliganda vinculo; & quô magìs eluctantur ad eius proceritatem, eô magìs depressa se fatentur extitisse. Audent minimè muneribus aureis Tuam pensare præstitam sibi beneuolentiã, cùm sis ipse totus aureus, merumque liberali in pectore Tuo gestari Hydaspen ille negauerit, qui cæcutientē crassa ingratitudine gratioso Tuo nitori opponit animũ. Retribuere munus pretiosũ non possunt, cùm sui nihil habeant, præter Tuã munificentiam: nec suum quisq; depositũ, nisi Tuo gratiali Gazophilacio exemptam fortunam sortietur;

*si placet hoc merui quod o tua fulmina cessant*

*Quas dederis solas semper habebis opes.*

impediret potiùs quàm illustraret in auge perspicui luminis eminēti astrorum Principi administrans lumen: depretiaret plùs quàm æstimaret eximii valoris gemmam condecorans. Quis nam soli addit lucem & gemmæ pretium! Adextremum; si instructa mens scientiis, velit Te oratoriis inuestigare floribus, licèt si roseo cōcupiscat coronare purpurisso, nec non triuphali calci plenis dare lilia manibus, non sufficit hoc Tibi specialiter exhibitumobsequium: quoniam â Te ipso tanquam â radice fructifera hæc omnis excreuit florentia. Quid deinceps tentabo Virtutis Tuæ latam periferiam màgis impediri, quàm in excelsa gloriæ euehi culmina, tantam animorum congeriem suâ obligantem victoriâ: mentium doctarum sagacitatē suâ superantem excellentiâ, nihilóminus tenuitatis meæ vanam excessura industriam.

Sed quia præsenti Celebritate Tua omnibus desiderabili neminē lætantium ita erigis, vt me solū ab applausu Tibi officiosissimo excipias, neminem Rossiacæ Gentis oculo Tuo velut sidere matutino ita collustras, vt simul me despicias; ausus sum tantam Honoris excellentiam, quam innumeris Probitatum Gradibus superintrasti, intra fecunda Religiosorū gaudia, glatulari: fretus spe Tuæ Paternæ Beneuolentiæ his meis incōmptis literis facilem daturæ veniam. Quidquid enim in decantandis Tuis Laudibus hac debili in pagina errabo, meæ ignorantiæ vilitatiq; adscripturus, ac Gentilitio Tuo PALLIO ad illud costituto vt delicta hominum beneficá clemētiâ protegeret, credo conseruandum fore. Gratulaturus inquam nunc ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME Augustam Sapientiæ Dignitatem, extra vagam opinionem majores quàm in inferius enumerándis Honoribus Glorias, feliciusq; Ecclesiæ ominaturus: incrementum:auspex verò infallibilis Tua Virtus; felices annos tardamq; annorum seriem continuis appromittat in applausibus;

Iam tum Trophæis & senio grauem,
Aurata stellarum ad Capitolia
Longis reuertentem triumphis
Signiferæ vehat axis aulæ.

Sarb. Lib: I Lyrico.

Fauet atq; inauguratur

ILLVSTRISSIMÆ VESTRÆ CELSITVDINI,
Seruus & scabellum Pedum,
idem qui supra.

# GRADVS NOBILITATIS,

Simulq; vehementiſſimæ Diligentiæ, in Studiis ad publicum Eccleſiæ Bonum, in florente Adoleſcentiæ vere acquirendis,

QVO.

ILLVSTRISSIMVS ac REVERENDISSIMVS PATER

## P. IOASAPHVS KROKOWSKI

ARCHIPRÆSVL METROPOLITA KIIOVIENSIS, HALICENSIS, totiuſq; Roſſiæ:

ad AVGVSTAM SAPIENTIÆ DOMVM INGRESSVS EST, ORATORIO FLORE AD PRÆSENTIAM ATTONITI ORBIS

# ADORNATVR.

*Mâgnum naſci Fortunæ munus, magnum fieri uirtutis opus.* Cicer:

A teneris vnguibus eximiam virili ingenio ponderandam Tuæ Gloriæ Magnitudinem incipio Encomiaſtes. DIGNISSIME PRIMAS. Candidum ſanè Tuorum Meritorum naſcitur mihi exordium, cãdida verè Te naſcente ſuas cunas incipit Oratio, non minùs Nobilibus Tuis concatenata Faſciis, quàm præſenti celebritate, ad Panegyres in Tuum applauſum promouendas. Tantâ plenus gratiâ extitiſti, tanti beneficii Te Numina cœleſtia dedêre participé, vt Te cũ Gloriã & immortalitatem ſimul, felici auſpicio generaſſent. Genethliaca potius quàm gratulationis Honorum hìc ſeruiunt encomia, vbi non prius præaltos apices Honorũ ſcandere cœpiſti, quàm glorioſis Tuis in Cunabulis reperiſti fortunam faſciatam. Id prius gratulari oportet, quod omnium Tuorum meritorum fons profluus, ac genitrix ſupereminet fecundiſſima. Quoniam ſi hæc non fuiſſet, tot clari totq; inſignes orbis Plaudentis triumphi ſuum de Te non habuiſſent tripudium. Poſtquàm igitur Marte proprio Tuum Valorem acquiſitum Probauero, priùs cenſum Natiuitatis Tuæ, tam multa totq; bona labantibus Aris exſe producentis celebraturus. Felices ſunt illæ Faſciæ, Imò centum Laureis coronandæ, quæ Te Eccleſiæ futurum Athlantem enodaſſe, atq; teneros Tuos artus ad Virtutum compendium alligaſſe dignæ extiterunt. Felix demum orbis Roſſiacus imò antiquitate videatur feſicior, cùm non iam proprio conatu ſed â Te naſcente præparatã ſibi vendicauerit gloriã, Tuiſq; Nobilibus Faſciis profugam fortunam cœperit, & in ſuum obſequium obſtrictam reddiderit. & iam Patriæ noſtræ legere fortunatos ſoles non incongruum erit, dum antè per varios præceps caſus rota æui peragebat curſum, inſtabilem fortunæ gyrum volui reuoluiq; inter rerum formidines ſpectandum erat, hodie firmo ſtetiſſe fundamento incumbit admirandum. Militanti Eccleſiæ non derogat triumphorum ſterilitás, cùm de Tuis Faſciis tanquam de affluẽtibus Cornucopiis rorãte deſuper Cœlo meſſes excreuerũt. Deniq; fertiliores quàm ſub Saturno, orbis ſiue inuidet ſiue gratulatur, dum omnis gloriæ ſuæ fecundum vbere campum ominatus. Siquondam Iuno horas habuiſſe fertur ad nutriendos neogenitos infantes; nemo & Tibi pretioſa aureis horis præcincta in ipſo ortu habuiſſe tempora denegabit. Si enim antiquitas primo in lucem proditos partus non priùs in cunis faſciauerat quàm lachrim

caterua præcinxerat, non prius lacte quàm amaro dolore nutrierat; Te in lumen
eluctantem, non prius Fasciis, quàm aurea Charitatis Diuinæ compede nectendū
non prius lacte quàm mellifluo gratiarū succo satiari oportebat Dolebat super-
stitiosa vetustas suos infantulos, cùm meliùs non generari quàm genitos omnem
mundi sufferre calamitatem, pulchriùs ad auram non eluctari, quàm tenebrosæ
vitæ tardum ducere horologium existimauerit. Discordes animos gessisse ve-
teri sæculo cum præsenti fuerat necesse, quippe Te natū hilari exceperat triūpho,
primò lucem haurientem extra funestum trenodium sonoro decantauerat celeu
smate. Quanquam: acribus insitum aculeis tramitem Tibi præsagierit, sed non
sine rosei stephanomatis solutione & præalti honoris augurio. Sudorum amari-
tudiné q-uòusq; ominabatur, eôusq; gloriæ fructum gratiarumq; influxum dicebat
exiturum. Funestos Religiosæ vitæ vmbras licet spectauerit, sed candidos sub
hac nigredine euentus, sub tenebroso pallio Lucem inaccessibilem & auream for-
tunam voluerat. Deformem nulloq; decoramento pollentem venustam effecisti
Religionem, dum deciduo â Cunabulis influxu depictam ac pristinum ornamé
tum vendicantem reliquisti. Nihil pulchrius extitit, quàm his grariarum flu-
entis adornatum, nihil formosius remansit, quàm eiusmodi cohonestatum mar
garitis. Et quoniam antelucano rore gemmas pullulare abditi mysterii * scrutator
censuit, censeat & illo tunc rorante flumine ad Coronas atq; Honorarias Curu-
les genita fuisse ornamenta: nam in virili vitæ perfectione Rossiam sudore ap-
pretiasti, congruū erat in Infantia lachrymis velut imbre placido intra Natalitios
Horoscopos eandem condecorasse. Quæ Lucina obstetrix, Te tantum Ecclesiæ
Incrementum, suo gestauit gremio, huius decondigno laborem eruto ex terræ
visceribus pensare pretio non poterit Patria: excedit quoq; eiusmodi meriti
magnitudo cara præmiantis munera. Vno lustro hæc peritissima architecta Te tātū
opus effecit eximium, vt innumeris lustris durantem voluerit, ac perpetuo in ro-
bore nullis fatorum inuectionibus obnoxio viuentem reddiderit. Tam deeoré
maximum placido enutriuit sinu, vt Præeminentiæ & præalti Honorum fasces,
non Te pulchriorem reddant, quám â Te inæstimabile deposcant pretium. &
quasi pro aureo pomo ab Ioue demisso, Dearū instar, longo luctentur certamine

*Plinius de gemma- in lib. 37. cap: 3.*

Iam deniq; ex signo Natalis Tui Sideris fausta orbi prodeuntia decantabam au-
guria, quanta in primo vitæ Tuæ ortufortunæ Rossiacæ futura erat serenitas, quā
ti in nitēte Iuueututis Tuæ aurora Patriæ desideranti orituri erant soles! Hic quoq;
vt agnoscat orbis ex vtroq; Te Cæsarem ingenio fortem, aurea Nobilitate perspi-
cuū comparē Tuis Antecessorib9 ILLVSTRISSIMIS METROPOLITIS KIIOVIÉSIB9,
Generis Tui Fortunatissime ARCHIPRÆSVL commendanda Claritas. Quantùm
rutilantes gemmæ exornantes purpuram censum populi conducunt non minorem,
tantùm pretium generis, virtutum meritorumq; fastus singularem vulgi prouocat
ad valorem. Verum est; *Virtutem non egisse sociâ*, certum tamen, non minùs æstimari,
quàm præclaris aurea lapillis ornamenta. Sit palàm Nobiles Virtute fieri ali
quando: *Nobilitas sola est atq; unica Virtus*; Luculentiùs tamen patet, Virtutem magis
perfici honorarique & in maius excrescere commodū, si Nobili sanguine asper-
gantur. Et quoniam; *Omnia summa consecutus es Virtute Duce Comite Fortūa*: Fortunam &
Genus Virtuti socios ac vicinos amicos addere noninglorium. Etiam ex armis
ad modernos applausus comparas triūphum, nam Tui PROAVI in GENTILITIIS
TENTORIIS armorum fulgentem apparatum seruauerunt, laureasq; victrices tan-
quam in securum ab omni infortuniorum tempestate cumulauêre horreum. Ex-
pansa horum Tentoria cateruatim irruentes hostium cuneos magis terruêre, quàm
anceps Macedonis gladius abditum Nodi Gordii penetrans mysterium Asiam tre-
mefecit: licuit hostili fronti maiorem ab omni armorum apparatu expectasse ru-
inam, quám vnum mucronem metuisse. Illud laudabile Heroicorum Actuum
Signum Rossorum fateantur climata, victoriis ac pompis insignibus nutriisse im-
mortalitatem Tuis Maioribus; felices quibus tanta Decora, claras bellorum
notas, amplum famæ propriæ campum, suprema Numina donauêre. Neque ge-
nus, nec auri census illos perbellè notat quibus sua deficit probitas;

*Iuuenal Satyr: 8.*

*...mma Tentorium datū ab annis ...o Suien-...lio i Ki-..., præfe-... exercitu Rossiæ. Simon Okol... Tom: 1.*

*Stemmata quid faciunt? quid prodest pontice longo* — *Iuuen: Saty 8.*

*Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus Maiorum?*

His tantùm duplex Decoramentũ, quos majorum simulq; propriâ sua merita ad altiora plusquã Dædaleâ ĩstruẽte pẽnas officinâ eleuare, ad immortalia quæq; extollere cõsueuerũt. Si spectes in hoc Majorum Tuorũ Gẽtilitio Sacrario, nihil erit tale quod non inuenies; si bellorũ incendia, fulgent in perpetuas æternitates ac nitido vt aurũ probatũ corusant lumine, eô magis hostiles lippientes obnubilant noctuas, quô magis fatis mortalibus mansêre inextincta. Si dulce pacis otium apprehẽderis pacificos in ipsis Animos, Modestiã nullis furoribus obnoxiam, Clementiam terrore euacuatam, Bonitatem nullo malo permistam, Suauitatem oris nullis insitam dolorũ punctionibus, Pacis habitaculum: Intuere Sapientiam, sub hoc Sapientia ædificauit sibi Domum & excidit Columnas septem, venturum sæculũ labile fulcituras, Ecclesiamq; In solido fundamento Locaturas. Si admiraberis diuitem ad Satiandas egenorum indigentias aurifodinam, reclusam & exuisceratam æterna Apotheosi dignã inuenies. Omnibus omnia in hoc Patrum Tuorũ Thesaurò Antistes Emeritissime reperiri solemne fuerat. Conferri præclara insignia pro meritis recta censet ratio, immeritum ornare his decoramentis, truncum putridum roseis inserere Floribus expolitum dictat ingenium. Quòniam si Meritis MAIORES Tui caruissent, tanti Decoris Gentilitij nudam & incomptam Posteritatis àdornantis imaginem nõ fuissent participes. Æqualem Sortiuntur merira cum stemmate dimẽsionem, quô magìs meritum eximium, eô magìs stemma generosius, quô factum honestius eò insignium clarius. Non defuerant hæc in Tuorum Procerum Excellentia, postquàm pretiosum armorum Depositum Tibi relinquentes perennem adoream post fata superstitem militaribus, meruerunt operibus.

*O summos hominum quorum fortuna per orbem*
*Signa dedit, quorum fatis Cælum omne uacauit.* *Lucan: de bello Phar:*

Dedecus tantos alto silentio humare Viros, quos gloria & in bellis Rectefacta vetustis annis sepelire non potuerant, cùm ALEXANDER & ANDREAS KROKOVIJ in certamine Vladislai Regis Poloniarum, tantòpere se contra hostium cuneos opposuerint, vt nec vitam & Sanguinem promilitari adorea effundere ibi doluerint.

*Præclarum pulchrumq; mori succumbit in armis.* Nõ minore æternæ memoriæ valore censendi PAVLVS & GABRIEL KROKOVIVS, qui in armis potius quàm in cunabulis cœperunt ducere vitam, haud conueniens erat eam in armis desijsse, in meliorem æterni solatij transmigrasse; mori pro Cruce Christi paratissimi in Prussia bellico campo occubuêre. Vt ignis aurum sic bellicæ expeditiones ADAMVM KROKOVIVM probantes Lucidiorem orbi, cariorem posteritati, acceptabilius heroibus Exemplar reddiderunt. Illum Prussia cum Zamoiscio Cecora Orinin, Chocin cum Zołkiewscio & Carolo Chodkiewicz, ex inconcusso pectore, & forti animo agnouêre strenuissimũ. Nequeunt laudes KROKOVIORVM posthumæ ætati non manere impressæ, quas IOANNES mirabilis audaciæ GEORGIVS nimiæ strenuitatis, MATHÆVS summi erga Religiosos zeli contra Suidrogalum & in bello Moschouitico ad Orszam victrici gladio conscripsêre. Quid deinceps dicendum oportet de KISIELORVM intima Consanguinitate Krokouianæ Domui iũctorum gestis bellicis, cùm quot celebres belli pugnæ horum extiterint, tot messes succreuerint Laurearum, sub GENTILITIO TENTORIO vt in horto omnis pulchritudinis ridere solitæ. Sit memor tanti inse deuoluti beneficij Kijouia, quoniã pro eius bonis conseruandis ANDREAS KISIEL soluisse uitã

*De Bello Rossorum contra Suidrogalum; Bielski lib. 3.*

non negauit. KONSTANTINVS OSTROGSCIVS cum Hrehorio Chodkiewicz fortiter se in Martis certaminibus gesserat, cuius victoriæ particeps SVIBNTOŁDICZ KISIBL Volodimirij Monomachi tempore, Dux exercituũ Ducatûs Kijouiensis, residente in magno Nouogrod Volodimirio Piecenigos obsidentes Kijouiam, reprimẽs immortalitatis Nomen vendicauit. ALBXANDBR KISIBL ex Czetuertinska natus, in bello Vladislai Iagelo contra suidrogalum obiru suo glorioso vitam Exercitui Poloniarum recuperauit, tantamq; Filio suo resuscitauit Regis benignitatem, vt Niskinice & Dorohinice bona in ducatu Kijouiensi conferrentur. DEMBTRII KISIEL ex Huleuiczowna nati, in bello ad Socalum mors in vitam triumphorũ transmigrauit. Moschouiticæ Legiones tam tremebundum hostili ferociæ censuerũt Virum HREHORIVM KISIBL ex Tryznianka natũ, quàm velut stramina colla Tartarorum gladium ipsius metentem viderant; tam Pietatem non subdolam in PAVLO & GABRIELB FRATRIBVS germanis ergà Patriam æstimauerât, quã in Prussia regnante 3. SIGISMVNDO mortuos cum Laurea perenni in campo heroico mirabantur.

*Ite alacres nunquam Vestri morientur Honores,*
*Bellaq; perpetuo memorabunt carmine musæ.* Statius.

Reliqua verò Laudum præconia inuida fata sibi seruauêre, inuida reliquit sibi Vetustas, ne sit orba actuũ heroicorum ornamento. Et si in lucem prodidisset, breui nucleo totam atq; vastam horum non arctarem Iliadem. Adhuc tamen, vnius Tui Maioris ac proximo Sanguine iuncti nẽpe ADAMI á BRVSIŁOW KISIEL Domini & Heredis in Huszcza, Gnoino & Kisielgrod, palatini Bracsłauiensis Capitanei Noszouiæ Kiiouiæ & c & c: auro cedrinisq; tabulis notandã encomiaste calamo probaturus Gloriam. Qui non vetustis sed his sæculis famâ orbem virtutibus annos postquàm impleuerit, totam Poloniam Caualerianis ornauit actibus, hostes á terræ fugauit finib9, discordias ciuiles placido Atheniensis Periclis mitigauit alloquio. Tantam uidẽdum erat in hoc Viro Cœlis demisso sapientiam, vt ipsismet orbis Doctoribus, externis Prouinciis pareret prodigium.

*Anno 1652.* *okolsti T. 1.*

*Vir erat; quo iustior alter*
*Nec pietate fuit nec bello máior & armis.* Virg: Lib: 1. æneid.

Si quando contigerat grandi in materia Ciuili ei dixisse, in comitiis celeberrimis, placidam prolongâsse facundiam, quò magis sermonẽ protraxerat eò magis aures & animos Populi captauerat. Omnibus omnia extiterat, Rossiacæ Patriæ propugnaculum, hostili ferocitati terror, Aris Focisq; fundamentum, Senatui Polono gemma, Regia serta condecorans, in propria Domo non habens nisi in Pauperibus, Gazophylacium:

*Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris,*
*Nec tenebris damnauit opes: sed largior imbre* Claud: in
*Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.* Panegy: Probi:

Cùm Iura dederit Populo Aurei TriPodis existimAndum erat in datis Responsis vaticinia in publicum Patriæ otium, *Etiam nec dignius unquam Maiestas meminit se se Romana locutam.* Boùsq; Patria nostra tutum habuerat asylum, á stragibus hostiumuè inuectionibus inconcussũ ancile nouerat, quòusq; ab eius fulmina iaciente Dextra acceperat gubernia. Tantæ erat ille Meritis Illustrissimus Tuus Consanguineus autoritatis, vt ipse Polonorũ Septẽuiratus, in gerendis causis publicis, in absentia non tantùm consilia non formauerat, verùm etiã nec minimã rationem proferre ausus erat: Equidem; Delphicũ

*Claud.*

quæsita ſoluturum Oraculum uulgus ac ipſi Principes gentium exiſtimáuerant. Ita Laboribus ſe ſe appoſuit, vt nec ulla ſegnis otij nota locum ſtandi haberet, nec vlla ſummorum inuidia, ac gloriã adſciscendi in viscera Senatoria interſerperet docilitas. Illo regẽte Palatinatum Kijouiæ primam Collegium noſtrum cœpit felici Numine originem, largâ Dexterâ fundamẽtum Ecclesia, non verò cœpiſſent, si ardentem Zelum cum omni munificentia non cernerẽt in se ingruiſſe. Hæc duo Fulmina literarij Belli ADAM & ✠ LAZARVS pro Diuina laurea certauêre; hic primus muſas Athenienses protoplaſtus tanquam de ſua coſta eduxit & effecit, ille, Caſibus & ruderibus ſub grauidis ingemiſcentes, reſurgere velut amortuis curauit ſcientias. Hucusq; in hoc Musis ſacro loco, altô Iudiciô edita & nunc indelebili exarata manent charactere Priuilegia; quæ adeò valida æſtimantur, vt eorum intuitu Villæ àc Caſtella igne & ferro, multiplici bellorum ruina deuaſtata, ad priſtinam Religioſorum Collegio redeant poſeſſionem, cum multorum inuidia: nam præterita ætas vt aurum vnicum edictum æſtimauerat, nunquid poſſet præsẽs ſæculum vili habere pretio? Quantus fuit in decerptis Victoriis, cùm non numerum ſed ſtationem hoſtium quæſiiſſet; omnem ſanguinem ſuum ac potiùs vitam ipsam in armis pro muniendis Patriæ Religionisq; finibus effundendam minimè doluiſſet. Quoq; loco Centilitiũ Tentorium fixerat, auream meſſem collectam, dolenda Thracũ ſpolia velut vnũ in aceruũ cumulata ſub eo ſperandũ erat, & non in herba ſed infructu iam maturo ſpem lactandam oportebat. Leuiús Othomanicæ Lunæ interpositâ, ſolis * ediametro, terrâ Ecclypsim ſufferre, quàm ſub hoc Velamine experiri fatalẽ occasum amiſſo ſuo lumine: Roſſiaco verò ac potiùs Regio Aliti triũphalem excompactis hoſtium victricibus herbis vt in Lybano monte nidificaſſe vnicus amor ſupererat. Sed optimè ſapienterq; rerum Conditor hoc in paſſu procedere voluit, cùm dederit tantas totq; Heroum multitudines, [ne ſera Poſteritas vacaret ſuo objecto] actus eximios non mori moriẽtibus illis. Se ipsá Patria in hoſtiam holocauſti obtuliſſet, si ſolùm vitá, vitæ ſui bonorumq; Defenſoris, placato infallibili Diuo Decreto, redemiſſet; tãntum quoq; delicium aut nunquam nasci, ne mors natum cum grauiore dolorum Epiphonemate eriperet, aut nunquam mori debuiſſet. Aſt quia: boni moriuntur vt viuant, extinguuntur vt luceant. Et hic ceſſit fatis hoſtium ictibus inconcuſſus, vt ſit viuus, occidit vt oriatur in lumine gloriæ uisurus Lumen Inacceſſibile, nec nõ in monte Syon triumphantiũ cum ✠ Agno numerũ adimpleturus. Non amiſit ſed receptam Roſſia ſortitur ſui munitionem poſt vnum amiſſum fundamentũ, Alterum Emeritiſſime Primas Te ſtabilimẽtũ nutanti irruente fatorum ſeditione Ecclesiæ gratulatur. Eodem tramite Tui vicini Anteceſſoris Sanguine, immortalitatis metã quæsiiſti, nec abſimilẽ ſed eundem animum tanquam ab vno Vos Ambos depingente Zeuxide concolor lineamentum rectefactorum in Te demonſtraſti; id duntaxat diſparitatis eſt, quòd Genuinũ Veſtrum Inſignium, hic ad armorum apparatũ ſeruandum aptauerat, Tibi ad fouendam militantis Ecclesiæ Maieſtatem ille Theſaurus placuit neceſſitandus. Reliquit Tibi poſt ſe opus labore niſi & diligentia imitandum, & hanc Epigraphen:

*Ergo age; me quoniam Cœleſtis Regia poſcit,*
*Tu Curis Succede meis ſecurus in aſtra*
*Te uiuente ferar.* Claud. de bello Get.

*Barànowitz protune Rector Collegij*

** Plin: ut lib. 2, ca: 10. eclipſim lunæ per interpositonem directam terræ inter ſolem refert.*

*✠ Hi ſunt primitiæ Deo & Agno. Apoc: cá. 14.*

Hoc est fortunæ in Te influens perfectionis Tributũ, quòd à Magnis Magnus Natus es, appareat quoq; hic & virtutis opus in viuẽdi Tua methodo, & velut præclara Generis Tui Origo à Cunabulis censebatur, censeatur & Probitas Tua non nisi à ridẽte Iuuẽtutis flore, qui est & secuturi fructûs Virilitatis merum indicium. Sanè in iuuenili Tua prætexta sperandum erat Doctorale Pallium, ornatissimas Præeminentiarũ stolas, ex paruis faciei lineamentis eruditam Lauream tempora coronaturam, verbo; ex vnguibus leonem cognouisse cuiq; erat non prodigiosũ. Ipse Antecessor Tuus in Thaumaturga Peczariẽsi Laura, non morientis Gloriæ non tumulandæ alto obliuionis cinere memoriæ Innocentius Giziel, Sancto quia innocenti spiritu Te venturis Lustris tot tamq; multos Patriæ thesauros infallibiliter ominatus aducturum. Ipsa demum nota per orbem Sacrosancta Laura an potiùs Corporum Sanctorũ Laurea, ex modesta Corporis Tui Symetria peritum animorum Prodromum non minùs sui ipsius tantorumq; virorum censuit fore Directorem. Creuisti Infans non tam corpore quàm animo, non priùs Iuuentutis quàm virilis perfectionis ornatus vestimẽto. Nam ea leuis iuuẽtæ natura est, puluereos struere muros, puluereisq; quasi arces quasdã munire vallibus, nescientis in saxis & lapidibus firma Robora cõstruenda, lapideisq; ad ædificanda mœnia Ciuitatum sit opus fũdamẽtis. Puerilis est opinio fallibilis, in lubrico existimare stabile, deforme præferre venusto minimum sũmo præponderare; vt olim Dux + Izraelitarum ignem ardentibus flammis æstuantem aureis nummis præposuerat. Gerunt bella non causâ defendendi patria climata, sed suum quoddam robur alijs ad iactandum monstrandi, & quidquid prima apprehensio dictat, perpatrandi. Deerat Tuis Iuuenilib9 Annis, hæc puerilis vilipensio; postquã non vanas puluere obuolutas valles struere quàm in literaria arena, prima studij Tui elemẽta vti firmam triũphalia sustinentẽ Basim statueris. Mirandum fuerat Tuũ Animum in præferendo summo minimis, cùm natiuos iuuenili ætati exosus ludos, studiis oblectari, mentem literis recreare, intaminatâ vitâ ætatem ornare omnis Tibi superfuerat intentio. Nullum conatum aplicueras mœnibus construendis, munitionibus ad retundendos hostium globos, obuallandis, miris artificiis ac stratagẽmatibus ad vĩcendam Tartarorũ perfidiam, sed triũphales virtuti Columnas, excelsas cum lemmate plus vltra Pyramides erigendi, ad omnimodam ferocioris interni inimici victoriam, artem quærendi, uigilem nactus diligentiam. Faciliùs enim orbi in malo posito elatas excidere Basilicas, tumentes ad aera educere machinas, quàm minimam ad virtutis habitaculum efficere cazam. Nam etiam Nero monstrum totius orbis, ex auro & gemmis excidit penates rigentibus, cœlum cum omnibus planetarum ordinibus, emicante siderum lumine solem & lunam debitos sibi cursus peragentes formauerat; sed quid bonum? non morum non Probitatis, non gratitudinis gessit; eã expressit gratitudinem quòd vtero sui educatrici, conseruationem nutritionemq; sæuo mucrone Compensauit. Exstructum Cozrois cœlum (sit fides autoris) gemmea sidera, nil, nisi tempestates scelerum ab his influisse existimo. Faciliùs retundere hostiles ictibus ictus, quàm Internos superare inimicos, hi quoq; præliares expauescunt fundas, illos non ferrum, non tormentarius impulsus, nisi virtutum iacula interficere possunt. Tu verò instructus intaminatæ virtutis pennis, non minùs scholarũ gradus, quàm gloriæ culmina peruolasti. Miratus in Te * Barlaã igneam

*Vita Sancti Moysis. septem: die 4.*

ıgneam capacitatem, in iuuenili adhuc ætate miram proceſſûs mo- *+ Illuſtriſſimus & R. P. Barlaã Jasinſki, protunc Rector Collegii.*
deſtiam, quantam ſperans in virilibus annis magnitudinem. Te
tanquam ſuum adoptauit, ære & ſtudio iuuandum appromiſit.
Ejusmodi in Te deſupèr datam miratus Dotem, zelum ad ſubli-
mia qnæqꝫ aptiſſimum, qualem ille antiquus Barlaam Eremita in In-
diárum Principe in vincendis tentationibus nouit fortitudinem.
Non bellorum, non cædium crudelium in Tua Indole Idea manſerat,
ſed militia pro Fide Orthodoxa venturis ſæculis perpatranda, adeò
Tuæ prænobili impreſſa degerat menti, vt nihil cogitaueris ni-
hilqꝫ curæ inhibueris, quàm vt eſſes fortis Annibal duras & diras
hoſtium Fidei Alpes tranſiens, Eccleſiæ opem conferens ac Laureá.
Non priùs iuuenilem Togam depoſuerant antiquis temporibus me-
morandi Romulus & Remus, quàm Martem Martisqꝫ ferocia certa-
mina, mutuâ ſecum diſcordiâ iniuerant, cùm diſcutientem Remum
naſcentis cunas Romæ *R*omulus interficiens, perſpicuũ Patriũ ſan-
guinem fraterna cæde fædauerit; & eòvſqꝫ Roma inſtabile ſui fũ-
dandæ robur habuit, quòvſqꝫ Remi mortuum cadauer non poſuit
fundamentum. Hæc eſt Animi ad ſtrages cladesqꝫ nati natura, ad-
huc in infantia horrida reptare per arma; animi verò ad fulcrum
labantis Patriæ geniti, ſpem multorũ ita lactare, vt Numinis inſtar
proſpera auguria proferre valeant. Non prior ſed poſterior
Te inceſſit ſors ARCHIPRÆSVL FORTVNATISSIME, qui in Infãtia
omnibus aures in Iuuentute Conſtantiâ Oculos, Modeſtiâ corda com-
plurium obligaſti. Tanta erat acquirendis literis Sedulitas, vt,
qui multis annis multa ſolicitudine, Tu paucis euentibus prima
elementa percurreris, conſtructionem optimè callueris, vſqꝫ ad Apol-
lineum feſtinaueris Hymenæũ, Iuuenilem Frontem recreaturus,
Orphei epinicia immane ſaxum mouentia, lætiſſima mente ſuſce-
pturus. Nihil pulchrum, nihilqꝫ decorum, nihil hilàre Iuuentuti
Tuæ extiterat, quàm in excellentia Parnaſsûs vt in Hymetto
mellifluo gratioſos fauos viſcera dulcorantes delibâſſe. Et quoniam

*Nomina, viuentes mortalibus Optima, Musæ*
*ătqꝫ æterna ferunt, nullis obnoxia fatis,* — *Eoban.*

harum officinis laborẽ ſummòpere impédiſti, vt de laureis Helico-
nis ſertum Tua tempora coronans decerpſeris, & Oratorii ſtudij
proximus Incola extiteris. Et iam oratorem Roſſiæ defendendæ
ac Pietatis ſuadendæ Te effecit quotidiè ſudoribus exundans indu-
ſtria, Flores & Roſas loqui cum Hortenſio hactenùs vireſcentes.
Adhuc in Te illa Virtus cenſenda erat non ignaua, quòd opem
minimam aquoque Tibi acceptam tantòpere æſtimaueras, vt (si
poſſet fieri) centum vicibus; regratificari ipſum Te cogeres. Pro-
ptereà Pàtriæ Roſſiacæ, Te è ſuis viſceribus non abſimili aureo
Eridano flumen perſpicuum elicienti, placidam roſeis Bellariis Iu-
uentutem nutrienti, exarſiſti toto animo compenſare. Coegiſti Te
ſæcularẽ adhuc (licet Religioſo ſimilẽ) omnes in doctrinis porri-
gendis labores ſuſcepiſſe, omnemqꝫ diligentiam Studioſæ Iuuẽtuti
inſtruendæ adhibuiſſe. Conatus es æqualitatem Arithmeticã iuſti-
tialem Roſſiæ Tuo creditori, vt Debitor iuſtiſſimus reſarciri; Nam
ab ea mutuas literas accomodans, eaſdem in fructum eius commo-
dumqꝫ diſpenſaſti. Primus ergo Tuus labor in his docendis offi-
cinis, maioris venturi verum erat indicium; quoniam priùs literario
aruo ſpinas inſitas extirpaſti, & benè ordinatèqꝫ cultum efficiſti,
poſtmodùm ſudorum ſemina iniecisti. Attamen natale ſolum
in Adoleſcentia Tua cum Olympiade Te càpere haud potuit, ſub
alieno ſole vitam quæſiiſti, vel quia vt Honorem Te breui inceſſurũ,

*Cùm enim præmium Virtutis ſit Honos*, eſſes fugiturus, vel quia, illinc lucrũ Eccleſiæ curioſus conquirens negotiator expectatiorem Patriæ Te redderes. Quãta deniq; in comprehenso itinere, ſolicitudo Animo nobili minimè cõſueto labores tolerandi, nec non ſufferẽdi corporis anxietates maximas, fuerat, ipſe Sol Orbis totius oculus de his præbeat teſtimonia; id duntaxat Solatii mens generosa repræsentauerat, quód gratiâ acquirendi ſpiritualis Theſauri tantas ſuſtuliſti difficultates. Numquìd melius eſt auaræ mortaliũ concupiſcẽtiæ marium permeare funda, aurei ſcrutari Tagi viſcera, demùm ipſius ſuæ Matris Terræ cum Nerone rimari vterũ, ob ſpeciales rerũ mundi diuitias? Fatuô modô credo eum proceſſiſſe, qui vitam omni auro pretioſiorem allicio lucri cum ventorum flamine tranſeũtis ardet impendere. Glorioſiùs Tibi erat propter huius lucri finem vitam non doluiſſe, cũm eam cum augmento multiplici gloriæ recepturus fueris. Imò beatum Te etiam in aduersis confidens Genius dictauerat, cui Cœlum pro tegmine, intra irruentes tempeſtates luctanti, inter crebra ventorum duella, inter Orientis & Occidentis diſcordias, ſeſe ſubmiſerat. Intraſti Leopolis præclarã Academiam simul luctas cõtinuas ſimulq; pericula inter probros inuidioſosq; populos ſubeũtia. Leuiùs Tibi erat tramitẽ peragere, & cœli naturæ ductu ad tempeſtates inſtituti, pati discommodá, Leuiùs terræ vias ſpinis obuallatas permeare, quàm dolendô animô viua fulmina, & non iam Aquilonum ſed animorum turbinem excepiſſe. Non tam arduam ſemitã Peregrinus, quàm terminũ quaſi inueniſſe faſtidieras, cùm in hac quiete nõ quieta tot pro Fide perſecutiones, tot pro Religione ignominias ſuſtuleris, non abſimilis in quærendo studij pretio Tuo nõ humatæ mortalitaris buſto memoriæ Anteceſſori dolores habuiſti.

*O paſſi grauiora: dabit Deus his quoq; finem.*
*Vos, & Scyllæam rabiem, penitusq; ſonantes*
*Acceſtis Scopulos, vos & Cyclopea Saxa* — *Virg: Æneid: Lib. 1.*
*Experti: reuocate animos mæſtumq; dolorem*
*mittite: forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit!*

Quidquìd difficile obiectum Virtutis eſt, ſed quidquìd ſummum, quidquìd purpuratum in excelſos Honorũ euectum apices, obiectũ Virtutis eſt. Laudatur Virtus, ac centũ Laureis videtur coronãda, ſi non confidit nimiùm ſecundis, ſi non deſperat grauiora lapſis. Fortior Tuus & in aduerſis proceſſus uidebatur, cùm tot tantisq; periculis immotus exciteris, & ueluti ſagitta aera diſcutiens, ad Pium Votorum Tuorum propoſitum directam tendentiã arripuiſti. Priùs in Poetico campo commilitonibus Tuis admirandum mouiſti animum, poſtquàm non minùs alacritate & diligentia, quàm moribus & Virtute omnium amorem amicitiamq; ad Te conuerteris. Siquidem Te Hoſpitem læta fronte perſecutiones ſufferẽtẽ magìs Patria aliena affectâsse deſiderauit, quàm ſuos inquilinos, ſuum proprium partum dilexit. Quippe conueniẽtiùs erat Viperæ ſuum partum odiſſe, viscera * corrodentem, quàm alienum nulla nocumenta, nullos ad dolorem fomites conferentẽ. Hi enim & noſtrã liuido Zoili inſtar Religionem corrodunt dente, & in ſua ſtabilis expertes animi, atq; per ſuam ſuperbiam elatâq; penſionem vt Cedri tumentes in Lybano, modò ad dextram, modò ad ſiniſtrã, ventorum agitantur obſidione, modò fulmineo ictu impetuosè arietãtur. Recta quia humili proceſſiſti methodo, & vt marmor pretioſiſſimus,

* *Viperas inficere aliqdo ſuos genitores refert Plin: Lib. 11. cap. 21 de genere Scorpionum.*

modò ſudorem elicueras, modò ſub ictibus varijs fatorũ. vt Adamas duriſſimus nec vlla vi emolliendus, ſtabilitatem Tuam Demõſtraſti. Nam ſub nulla vi experientiùs quàm ſub malleis durities innoteſcit. Tandem ponderans deciès vnum Tua Prudentia viderat, quanti valet in Exedris, in Conſilijs de grauibus formandis, mitigandis iurgijs, ſortitur cenſum Studium Rethoricum, intraſti illud ingeniorum Sacrarium, Scientiarum Dogma; non ingreſſus Lyceũ armorum ſtratagemmatumq́ artem continens: quoniam generoſæ Tuæ Indoli, maiora præpoſuiſſe minoribus, vtilia inutilibus ſolẽne fuit. Huic eximiæ Arti aures & animum adeò dediſti, vt breùi hac in re Leopolitanos Tullios ſuperaueris Romano par exiturus, ac ornamentum Roſtris Sacris collaturus: Et iam velut puppis placidis compulsa Fauonijs, planitiem Oratorij pelagi permenſus, difficultatum pericula euaſiſti, ſed non dum Tibi Fixit Tua Curioſitas terminum, adhuc, omni corde tanti pretij in Vilnensi Erythræa gemmam conatus es quæſijſſe. Iuiſti ad vrbem Studijs præclaram, moribꝰ inſignẽ Vilnam, ſimul nouas anxietates, nouas perſecutiones, cum nouo Loco comprehendiſti, non abſimilis luctanti pro aurea mercede, hinc Scyllas euitanti, illinc Charybdes incurrenti Nauitæ; ſuperato periculorum agmine, iterũ in horũ inceſſiſti ferociã. Non ſufficiebat vnum pretium, vnum commodum, in ſublimi poſitum, vnum fructum conferens Locus, quàm varij varias Sortientes fertilitates; varias peruolaſti Ciuitates, & veluti melliflua apis variis floribus ſuccum eximens, imo de ipſis anguium lacertis ſine metu eorum veneni, aliquam aſſumit propter mella paranda qualitatem. Tanti erat Tibi feruoris ZELANTISSIME ARCHIPRÆSVL Philoſophicum Studium, vt illud de medio Sæuientiũ Draconum flammis excandeſcentiũ aut ex ipſomet incendio eripueris. Tantas paſſus inter inimicum Fidei noſtræ populum iniurias, quantas olim Eccleſiæ Fundamenta & Principes Baſilius Magnus cum Gregorio, inter Idololatriæ cultores, ac ĩfidam gentem ſuſceperunt ignominias, grandes dolorum habuêre cicatrices. ſed *Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam.* Iam Tua probata Virtus creuit & immenſum gloria calcar habuit, quò maiùs Te aurum rutilans ad feruorem aduerſitatis gens Polona probauerat, eò magìs ſplendebas Studio, palpebras horum inuidioſas interficiẽs, breùi Roſſiaco Archiuo numerum theſauri maioris portaturũ. Illuxiſti in Vilnenſibus Diſputationibus Ingenio & Indole non ſubdola, Capacitate argumentorum ſeriem difficilem Soluente, ſubtilia quæq́ ſcrutante, dura & inacceſſibilia diſcutiente, cùm in Cathedris publicis intellectũ perpoliũ oſtẽderis. Impaleſcentiã legendis Philoſophicis quæſtionibus tantã applicaſti, vt nec inſomniis illam amiſiſſe putareris; id enim non debuit ſomnianti non repræſentari, quod vigili ſemper inquilinum, ſemper proximũ continuũq́ hærebat animo.

*Virg: lib: 4. Georgico: de operibus apũ*

*Math cap: 5.*

*Omnia quæ ſenſu voluuntur, vota diurno,*
*Pectore ſopito, reddit amica quies.*

*Claud. in Panegyr. Honorii.*

Non defuit Tibi diligentiſſimo Alexandro non iam Bellorũ Autorẽ Homerum, ſed abditi myſterij naturarum Scrutatorem Ariſtotelem legenti, non aurea pila ſupra peluim tenenda, ſed gemmea ſudorũ rotunditas fronte ſapiente excidens, claro ſonitu cõmouens aures & animos in Tui vigilantis intuitum. Fortunam non quæſiiſti; vnicã Tibi ſortem tunc ſuperabundâſſe exiſtimaueras, cùm aliquod edi-

scere potueris, eoq; die Tibi Lucrum eximium putaueras, quo vel minimam partem difficultatis Philosophicæ percepisse uidebaris. Commisit Tibi Tuus Dominus duo Sapientiæ & Virtutis Talenta, igitur curasti, vt his adhuc duo efficiens in eius dignus intrares gaudium. Acutiorum mentiũ Doctoribus, licet inuitum, mouisti augurium de venturo Patriæ Orthodoxæ commodo; quapropter si in Exedris perorâsse Te ac in filo oppositorum soluisse rationes viderant, stupebant attoniti, & hæc laudum præconia, quæ olim de Duce Dardano enun tiâtæ, proferre cogebantur:

*Quis nouus hic nostris successit Sedibus hospes?* Virg: æneid 4.
*Degeneres ánimos timor arguit!*

Quoties contrariæ sententiæ perplexa argumenta diuelleras, toties candidam post nocturnas Lucem caligines, animis crassa ignorantiæ nube obuolutis induxeras. Quoties alta principia subtili & in sublimibus posito speculabaris animo, toties velut Regius Ales Fulmina ministrans, in excelsa Lybani leuibus pennis euolâras fastigia. Gloriosiùs Tibi erat hac morari in Scientia, quàm si Regali sceptro regeres populos, beatiùs fuerat doctorali Pallio te indutum amasse, quàm purpurâ, auro & bysso gloriari. Nutant Regia imperia, cadunt Ducales non minoris pretij Clauæ, si Scientiæ huius à Cœlitibus demissæ fulcimento non roborentur.

*Regna beata forent; Si vel contingeret esse*
*Philosophos Reges, aut Reges Philosophari.* Plato.

Et iam cursum Philosophiæ consumanti simul pro spinis calcatis Lauream Scientiarum assequenti, nihil Tibi adhuc restare censueras, quàm vt Studium Theologicum Beatitudini non absimile, ob discernenda Fidei Dogmata, intelligendos Sectarum varios errores assequereris. Hæc enim est Beatitudo ad inuestigandum vltimũ mortalibus finem, hæc est Prodroma ad noscenda abdita Deitatis inenarrabilis Mysteria. Calleat quisquis Geographiæ artificium, dimetiendi terras exarandiq; ĩ tabulis Regionum confinia; ipsum demq; orbem in Geometrarum officinis elaboratâ, ab oriẽte ad occidentem permetiatur lineâ, si Supremum palmo mundi vastitatem Metientẽ non intelligat Geometram, vana est hæc pro nihiloq; reputanda industria. Deniq; nec quispiam poterit perfectè munus operis sui exequi, si ad finem vltimum rerum non collimabit. Sciat Rerum genitricis secreta occultissima quæq;, sciat causas effectuum productrices, inscius & fatuus intellexisse censebitur, si primæ ignarus sit Originis. Sanè nihil est pulchrius Christianis actibus, nihil celerius ad se terminandum ratione præditos commouet animos, quàm Deus Teroptimus vltimum motiuum & obiectum. Et certè si hæc Scientia non inuenta fuisset, multa etiam nos Orthodoxos Profunditatis Diuinæ latuissent Mysteria. Hanc ob rem omni continuoq; arsisti conatu omnem Te sine respectu salutis & commodi, huic supremæ Scientiarum Reginæ conferre in mancipium, Sola eius necessitate obstrictus manseras, ut propriam denegares, imò nec momentum vnicum ad otium Tibi concesseras, solius officio labores Tuos concessisti. Alimenta minimé curàbas solius Facundiâ. velut dulci ambrosia mentem satiaueras. Potum vllum nolueras, postquam Te in incomprehensibilem mentibus terrenis profundæ Deitatis Vnius & Trinæ vorticem gyrante torno volubilé cum Aristotele proiecisti; in qua enim difficultate Deum non cepisti, Deus ceperat Te in Pontum gratiarum influxu exundantem. Si aliquam molem

molem huius non facilis ſtudij labore Sanguineoq; ſudore non emollijsti, hanc ope Diuina Tui intenti propoſiti Adiuuatrice ſuperaſti. Sed adhuc in vno Loco non fixiſti ſtationẽ, à Tuis Rectefactis oriundam effugiens Gloriam, ignota petijſti climata, vt & illinc particeps laboris exiſteres, & velut arbor fecunda, in alium locum transplantatus meliorem fructum Eccleſiæ generares. Transmigraſti in præclaram Ciuitatem inter cæteras Academias Poloniarum non minora laudum præconia ſortientẽ Poznaniam, gratiâ ſtudẽdi Theologicæ Scientiæ vltimum in abſconditis Scientiarum theſauris quærendi pretium; priora ꝗ Tibi negotiatori accuratiſſimo acquisita ſuperantem, & Te diuitem ſapientiâ efficientem ad húnc modùm, *merce* vt quidquid tangeres tum aurum in coronam docto Capiti, tum gemmæ in Doctoralis Pallij ornamentum, tum Laurus fatalibus Cupreſſis oppoſitæ æternitatem conſignantes, fierent. Ideò in affluentis Tui Sudoris diluuio luctabaris non ſemel naufragium paſſus, & certè in ipſa profũditate mergereris. Si Diuina omnipotẽs Dextra labantem non erigeret & tanquam vltima ſalutis tabula Tibi non ſupereminеret. Labor enim eſt non minimus in Studiis præcipùe contemplatiuis adeò feſſa membra debilitare potens eſt, vt demùm ipſa vita aliquando fatis mortalibus cogatur ſuccumbere. Leuiùs enim eſt externis licet grandibus laſſari corporis artus, quàm internis in intellectu reſidentibus fatigari laboribus. Faciliùs erat Herculi ancipite ignibus Scintillante amputâſſe Septẽplicem Belluã gladio, quàm Tibi Theologicos ne dicam ſeptemplices viciſſe laborum ferocias. Hæc difficultas erat Arbor aurea, hæc erat Laurus æternitatis, ad quas Tibi obtinendas cum Æſonio

*Peruigilem ſupereſt herbis Sopire Draconem,* *Ouid: Metamor.*
*Qui criſta linguisq; tribus præſignis, & vncis* *Lib. 7.*
*Dentibus horrendus, cuſtos erat Arboris aureæ.*

Multæ ad obtinendam hanc gloriæ Lauream dabãtur obſidiones, plurimæ negantes ingreſſum in Laudum Capitolium pugnabant cuſtodiæ ſtragibus Periculisq; minantes. Sed quia illa Heroina cuius ſub pedibus Stygius anguis ingemiscit, ab hac Draconum ferocia ad futurum Patriæ auxilium, Eccleſiæ fideli emolumentum, Te præſeruauit. Cùm ei datæ duæ alæ Magnæ Aquilæ ad euitandam Draconis peſtilentiã & Virtuti Tuæ addidit pennas, vt & liuores *Apocaly: Cap: 12.* mortiferos effugeres, & in celsa Adorearũ euolares faſtigia. Huius Gratiarum Pallium adeò Te conſeruauerat, vt nullo fatorum turbine commouereris, nec Simulatis nouercantis Deæ fauoribus fatigareris. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio vteri ſui!** Aſt quia & labor omnia vincit hoc igitur & inſidias difficultatũ tranſiiſti, & aureum munus non ſolùm pectore & docta frontis venuſtate, verũ etiam ipſo Ore aurum in Eloquentijs, ingrauibus Diſceptationibus, non abſimili aureo Ori Chryſoſtomo rutilare ſpectandum erat. Cùm cœperis loqui perſtringebat multorum admiratio aures, cùm cœperis argumentari, *Conticuêre omnes intentiq; ora tenebant.* Hæc Tibi pero- **Eſaiæ Cap. 49.* ratio instructio fuit poſtmodùm facundo ore in Exedris Roſſiacis hæreſes damnaturo. Non potuit quoq; Schiſmatis error meliùs accomodatiùsq; proſe occidendo conferre gladium, quàm cùm Te omni Eloquentia, omni Scientia, Omniq; de Altiſſimis Penetrandis Sapientia, ditauerit. Et iam venit Tibi tempus, decuit graue laborum depoſuiſſe jugum, atque perſecutiones; Omnis Sapientiæ & experientiæ plenus adèo extitiſti, vt propugnâſſe defendiſſeq; Orthodoxam potueris Religionem. Iuiſti in Roſſiam genuinam

Tuam educatricem abundantissimum lucrum expectanti aduehens negotiator, Honoribus Decus, Fortunæ munus contulisti, â Te perennem Sui æstimationem vendicantibus. Alii solùm ne videatur horum ignorantia nimio sumptu impensa denudata, absconditam sub Pallio Doctorali contulerunt, scelera aperta glorioso sub tegmine occultarunt. Nec mirum est; in floribus eximiis, ridentibus pratis interserpere scorpiones, in scyphis aureis atq; vasis gemmarum varietate ornatissimis, sæuire toxica, in pelle ouina lupos latere rapaces solēne est. Tu vero GLORIOSISSIME ARCHIPRÆSUL, tantum gloriæ spectaculum, quò major fuisti eò minorem Te Tua præbuit Modestia, sub hoc vestimento Virtutem & Sapientiam occludere maluisti, ne Honorum inuidia Te pridem ambiens moueretur tantis excellentiæ Dotibus. Absimilis extitisti in altos gloriæ vertices eminere cupientibus, cùm delitescere in imis visceribus vt valor merce moniliū æstimandus desideraueris. Et quisnam eo tempore non censuisset Te fuisse expectabilem, Religioni amabilem, cùm binis Fortunæ & Virtutis onustus Muneribus, in hac Talenta simulq; intentionis Tuæ pretiosam metam deposueris. Optimas Dotes à Fortuna habuisti, optimâ vitam à Virtute participâsti. ô Virum omnibus omnia conferentem, omnibus in omni complacentem, etiam ipsis oppositis, amorem ad Te & placidum mouisti animum, id solùm in Te mali sentiebant, quòd es Orthodoxi Corporis Ecclesiæ nobilissimum ac principale Membrū. Orientális Matris dilectus Filius, veræ Christianitatis Cultor humanissimus! Pro tanto igitur Zelo, tanta erga Religionem Pietate, paterno erga Orthodoxos amore, Tibi Iustus operum Remunerator,

Præmia digna feret. Quæ Te tam læta tulerunt
Sæcula, qui Tanti Talem genuêre Parentes;
In freta dum fluvij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt conuexa, polus dum sidera pascet, ✠
Semper Honos Nomenq; Tuum laudesq; manebūt.

*Virgil: Æneid 1.*

✠ *Antiqui Philosophi erroneè existimabant Sidera contractis à sole pasci humoribus; quibus fauebant Plato & Aristoteles, in Libris Physicorum, vbi de Lunæ Siderumq; natura tractant.*

GRA_

# GRADVS
# RELIGIONIS

atque PIISSIMÆ VITÆ

*ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI PATRIS*

## P. IOASAPHI KROKOWSKI

EMERITISSIMI ARCHIPRÆSVLIS METROPOLITÆ KIIOVIENSIS, HALICENSIS, totiusq; Rossiæ.

Cùm intra virilem perfectionẽ, post absoluta Studia, post expolitos continuis laboribus annos, post Doctorale Pallium, ANGELICVM susceperit INDVMENTVM, INDELEBILI Charactere

# IMPRIMITVR.

*Viuit adhuc Completq; vagis Sermonibus aures*
*Gloria fusa probi, quam nec ventura silebunt*
*Lustra, nec ignota rapiet sub nube Vetustas.* — *Claud: in Páneg. Probi: & Olyb.*

Nihil tam munitum quod expugnari tempore
rerumq; vicissitudine nequeat.
Nihil tam tutum existimo fore,
quod momentaneam ruinam indies non paueat.
Quid solidum in insolido?
quid diuturnum in dilabili?
quidq; æternum in fatali!
Vidimus toties admiranda genio humano molimina,
Augustas Principum ædes,
metalli pretio ornatissimas Basilicas;
Iucunda olim Lumini nostro fuêre solatia,
hodie dolenda sunt ruinarum spectacula.
Vrbes ad sidera ductas solo æquarunt ruinæ,
ceciditq; superbum Ilium & omnis humo fumat Neptunia Troia. — *Virg. Libro 3. Æneid.*
Nec mirum est;
Nam, quo se altiùs erigunt eo proniorem lapsum sortiuntur imperia,
lugentes arborum Cedrorumq; moles,
cuibratis fulminum ictibus impetuosè arietantur.
Quid mirum est?
quæ in continuũ eluctantur orientẽ hæc fatalis comitatur occasus.
Baiulet tremendum Regalis Sceptrum dextera,
sed quandoq; liuido fato eripiendum & in sui ruinã deuoluendũ.
Honorata Diademmata Regum capiti imposita,
aut edax rubigo soluet in cineres.
aut alternantis temporis inconstantia in sepulchrale saxũ cõmutabit.
Metat Regum Triumphos dextera;
Colligat Heroum fortitudo hostium spolia,
nil, nisi hi funestã cedent in Tragediam.

illa famelicæ mortalitati in pabulum.
Coronâ Cæsarum quid Augustius?
Regum Diademmate quid tulit fortuna honoratius?
Sed; absit tale momentum quo Tragicum non corruât in baratrũ;
Ob id nisi solatium est,
quòd coronatos manes adorant mortuorum caluariæ.
Adeò fata vitæ humanæ cursum dedêre lubricũ,
vt nec horam quidem solidam numerare possit.
Arctum nobis rerum genitrix destinauit spatium prosperitatibus.
immensum miserijs.
Perge magnanime Hector,
per stratos cadauerum tumulos ad immortalitatis Olympia.
& quorsum hæc animi audentis fortitudo?
vbi post trophæa funesta succedit catastrophe,
post laurus ferales Cuppressi demetuntur.
Vitam simul & simul militiam agimus;
Sed dubium est,
an victoriam an crebras strages cladesq; tumulaturi.
*Ouid: de Ponto lib 4. Eleg: 3.* In cœno Marius iacuit cannaq; palustri,
pertulit & tanto multa pudenda viro.
Prorsus cunctarum mundi est perfidia rerum.
Fluant Opobalsama per cerussatam frontem,
oleant euecta Arabum officinis vnguenta;
momentum huius illecebræ lacrymarũ parit æternitatem.
Depinge efformato naturæ artificio roseum vultum,
effrenata deliciarum proles murice,
Sed ad dapes caliculosq; nate Ganimedes,
in calice amaritudinis, formam cum vita demersurus.
Durare in perpetuũ has illecebras vana fert mortalium opinio.
Sed crederem nunquã infeliciùs Pomonã suos plantâsse flosculos,
vbi calenti exusti Sirio vitæ breuis iacturam sortiuntur.
Quám breuis vna dies ætas tã longa rosarum,
*Ausoni:* Quas pubescentes iuncta senecta premit;
Quam modò nascentem rutilus conspexit eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Crederem nunquã infeliciùs araneã suas intexuisse telas,
quæ ventorum turbine in aera dissipantur.
Ingruat somnianti Tymotheo Fortuna in gremium.
ne confidat;
ideo somniantem delectat vt vigilem simulatis eludat fauoribus.
Rideat vultu sereno.
Luceat candore notabilis ipso,
Quiduè sperandum? præter funestos ictus lacrymarũq; tempestatẽ.
Nõ absimilis cœlo sereno, sæpe horrida cũ tẽpestate fulmina iaciẽti.
Scindat gratiarum æquora, placidis Btesijs fortunata
huius sæculi naumachia,
Sed breui casuũ agitata turbine,
quò citiùs pergit eo velocius inter syrtes Charybdesq; naufragatur.
Quoniam diuturna malacia aliquando suspecta est argonautis.
Hactenùs humana ambitio conquirit vniones
in Oceano furenti semper, in pacato nunquam.
Hactenùs gloriæ cupida mortalitas in sanguinis diluuio coronâtes
concupiscit palmas;
quàm stultè facit;

quid

quid palmæ coronabunt ?
Cùm has proprij capitis exsoluat supplicio.
Nil in rerum natura Sacrum est, quod calamitas nō inuenit. Seneca.
Quid non longa dies quid non consumitis anni !
Felix qui potuit, mundi nutante ruina, quo iaceat, iam scire loco.

Sola dūtaxat Religionis Munitio adeò in stabili collocata firmamēto,
vt momentanea rerum vicissitudo eruere nequeat.
Totidem hostilis fortunæ fundâ inexpugnabilis,
quot Diuinis fundata Gratijs :
Aperiat fauces tempus edax rerum,
quid enim? nisi sua infortunia claudere poterit.
Deludit quoq; vera Religio humanas Ludentia mentes.
Nusquam potuit feliciùs vitare hiatus Auerni,
quàm cùm mundanæ spolia illecebræ illinc reliquerit.
Nunquam potuit faustiori animo Mauri euadere pharetrâ.
quàm cùm Cupidinis arcus euaserit.
Concussit aliquando Dinastarū prælta ædificia fulminū sæuities.
Ridet humilis Religio grandem elatorum depressionem.
Et si orbis ruat impauidam feriant ruinæ.
Non est opus expauescendi casus quos vicit omnes,
Non expauescebant Lacædemonij spolijs inclaruisse,
cùm hostem suum Epaminondam occubuisse viderint.
Quid nocet bellorum incendium ?
quod cessit Triumphatrici Religioni in rogos triumphales.
Quid nocent busta humantia mundum :
cùm ex illis viuacior vt Phœnix euolasset.
magis ad excelsa quia Cœlitum fastigia.
Erubescunt Principum purpuræ,
cùm ad eius venustum fulgentibus tenebris Pallium comparentur.
Vilescit pretiosis insita Tiara pyropis,
cupiēs cū ei9 coronis inæstimabili præditis vilitate introire æmulationē
Quoniā fulgentes ostro radios anxietatū dolorisq; ūbra comitatur,
Id duntaxat conspicientibus parit pretium,
quòd aureo pallio ferrea velata calamitas.
Quotquot in Regum Diademmate gemmæ,
tot stillantes sudorum lacrymarumq; guttæ.
anceps dubiumq; est,
An Laurus an ferales Cupressos aspersuræ.
Procul ab his Religiosa quies vbi requiē in cœlesti ambit Laticlauio.
Quantò in tenebris delitescit, tantò in nouissimo
die Lucem habitabit inaccessibilem.
Nullum quærit lucrum nisi Salutis æternæ.
Nulli paret negotio nisi Diuino.
Beatus ille qui procul negotijs. Horatius: Epod: ode 2.
Pulchrum Christo se totum commisisse,
Pulchriùs Castitatem, Paupertatem, Humilitatem,
vsq; ad mortem Crucis eius conseruâsse.
Quoniam fulgebunt animi quos ardens erga Deū Religionis Zelus
candescere facit.
Tanquam aurum in fornace probauit illos & quasi Holocausti hostiā Sapientiæ Cap: 3.
accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.
Quāquā nō careat præruptis viarū ad inuestigandū gloriæ Olympia,
sed Cœlestis.

Licètſi abundantiſſimè affluat ſudoris Diluuio.
Sed ad progenerādā purpuriſſa Religioſorum frontes circumdatura,
Diſcat à Chriſto Virtutem verumq; Laborem,
quisquis luctatur immortalem poſſidere mercedem.
Stat præmium non vile laboris.
Pōdera te ô Sacra Religio humanis humeris ñ ſufferi vidēda premūt.
Sed non time;
*Mathæi Cap: 11.* Iugum Chriſti ſuaue & Pondus eius leue eſt.
Mortua mundo vt viueres Chriſto.
Admirare orbis in malo poſite Religionis ſtabilitatem.
abſconditam gloriæ claritatem,
Vbi nigrātibus in tenebris ſplendorem latuiſſe fas eſt.
Luctantibus orbis peregrinis & velut vagis animalibus inquieto ſiluis
oberrātibus curſu, Religio meta eſt beatis inſulis non abſimilis.
Felix cui licuit curſu contingere metam.
Diuinæ Mentis optima hæc inuentio eſt,
Poſt faſtidium primæ vitæ in alteram renaſci melioris ſolatij,
Quodq; in prima contigit amiſiſſe, id in altera reparaſſe datū eſt.
Felix qui amiſſa redimeret,
Felicior qui ſciret,
Feliciſſimus qui poſſet.
Optimi ingenij eſt,
deſertis lubricis ſolida quærere,
Generoſæ Indolis eſt omiſſis inquietis ad ſecura vigilāti niſu eluctari.

In Te & in Tuo Prænobili Genio ARCHIPRÆSVL Feliciſſime fuerat
hæc intentio, poſtquam viriles ad annos perueneris,
virile & robur ſtabilis vitæ quæſiſti.
Sub alieno ſole effodiſti ſemina,
vt ſub Tuo ſeminares.
Nō ad Tui vtilitatē aureū morū literarumq; collegiſti fructum,
Sed vt tabeſcentes ſatiares animos.
Non Tibi mellificabas.
ad euacuādā hæreſeos amaritudinē omnis dulcedinis ſtillabas ābroſiā.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Talis Te cogebat vehementer induſtria
*Virg. Æne. 1. & 4. Georgi.* Qualis apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cùm gentis adultos
Educant fetus, aut cum liquentia mella
ſtipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.
Mallet Romana Religio ſuis coronatis Te vnum omni
Gloria pollentem emiſſe.
Quoties neſcia veri Te dolebat Orthodoxum,
toties lacrymarum congeries in ſuū decidebat ſchiſma,
nullum fructum præter indignationis loliū progenerans.
Eò magis Temet ipſū videras cenſebatq; quātū Tui valent humeri,
quò magis illa ſuos in ſpeculo Honorum faſtus præſentauerat.
Poterāt fermè Humeri magnanimū toleràſſe Orthodoxi potiùs
Regiminis pondus, quàm illinc ſub leviſſimo ingemuiſſe.
Viderāt Religioſi P. P. in aurora Iuuētutis pulcrā Virtutū ſerenitatē;
quantum in meridie Virilis Ætatis Gloriæ ſperabāt nitorem.
Non valuit huius perſecutio Tuū à ſalutis via impedire conatum,
quoniam hos prærupta viarum ad errorem,
Te Lactea Via ad Roſſiadum ducebat Honores.
Equidem;

Non potuit gloriosiùs Roxolanæ fidelitati in hostiã Holocausti Te consecrâsse, quã cùm Aquinatici solis Splendori Te imposuerit.
Tandem venisti in Rossiam,
Tuam genuinã Patriam,
Nobiles Tuas rescire Cunas,
quæ antea Te, hodie Tuos Honores & Glorias fasciarunt.
Tanti Te Religiosorũ ac sæculariũ æstimarât cohors,
quanti raritas perspicuæ gemmæ æstimatur.
Vtraq; præliares gerebat discordias,
Hæc armorum ad fugandos hostes apparatum,
Illa firmamentũ Ecclesiæ plusquã Boreali hæreticorũ insultu agitata,
in Tuo Gẽtilitio Tẽtorio vt ĩ tutissimo præsidio cõseruâsse luctabatur.
Maximorum Heroum es Progenies.
in armis contra hostes inserendis ducere Tibi vitam non timor erat.
Nobilitatis es Gemma,
Inter Ducales Clauas Principũq; Purpuras nitere deerat portentum.
Sed quia aut meliùs consuluisse Ecclesiæ labanti, voluisti,
aut excelsa Honoris mundani fastigia non esse diuturna censuisti.
Quid facis?
intras Religionem;
Nihil ab ingruente obsidione hostium tutius Tibi fore existimabas,
quàm cùm Cruce Christi toleranda vt pote victoriæ Signo munireris.
In hoc Signo vinces.
Victoriosis plãtis ferũ neces mortalib9 adspirãtẽ pessũdâsti Basiliscũ,
dum velut Triuphator Religionis intrasti Capitolium.
Non spolia sæuientis Bellonæ,
Sed ipsum Te Laureatum simulq; Lauream Sapientiæ intulisti.
* Noemiticæ columbæ non absimilis,
Ramũ oliuæ videlicet Florentis Tui æui Hymettum
de medio mundani Diluuij,
hanc in Arcam hucusq; Deo conseruatam trans plantasti.
Nihil pretij. nihilq; pretiosi holocausti præter Te ipsum,
Omni uictima acceptabiliorem,
auro bis cariorem, huic Aræ obtulisti.
Nã in Te omnium Dotũ Decorumq; Regiũ inuenit Religio archiuũ;
Quid deinceps voluisset?
Ornasti eam Tua Modestiâ,
Ditâsti clariore in vmbris sine rixa Obsequio,
sed hæc eximia pretia sunt exigua vlterioribus cõparãda.
Disserenasti liliato Innocentiæ candore vt onyx pretiosissimus;
sed & hic erubescit ad Fulgorem aliorum approbatus.
Illustrasti feruentissimo vt Beryllus Scientiæ Tuæ nitore,
Ast & hic ad serenum vlterioris valoris meridiem euanescere cogitur.
& quænam essent illa?
Ecce erat Humilitatis Tuæ Regnis terræ inæstimabile pretium,
indelitescentibus absconditum vmbris.
Eiusmodi valoris Nobilitas totum superat vnionum genus.
Quò magis in abscondito Latebat,
eo magis excelsa Honorũ fastigia Religioni empta habuerat.
Tantòpere humi scrutabatur viscera.
vt Gazophylacium inopi Ecclesiæ effoderet.
Quid deinceps Religio voluisset!
cùm olim inopem nunc Reginam opulentiâ præclaram effeceris.
Sed quantò eam ditâsti, tantò Te ĩdigũ existimauit Tua Modestia,

* Venit columba ad Noe portans ramum Oliuæ &c Gene. Cap: 8uo.

Quãtô nouos flores īdies plãtasti, tãtô Te sterilē Tua iudicauit Pietas.
Labores adhuc laboribus in conquirenda Cœlesti merced: applicasti.
non absimilis Tutelari Tuo Lapidem pretiosũ quæsijsti.
LAPIS ERAT CHRISTVS.
Hoc discutere Cupidinis arcus robusta mens Tibi dictauerat.
Hoc tanquam Dauidis fundâ Philistheum huius mundi prostrâsti,
hoc Roxolanã Fidem fundando ditasti.
In acquirendis rerum Diuinarum copijs tantum sortitus conatum,
vt sine salutis Tuæ respectu totũ animum impenderis.
Nobilem Sanguinē in sudores continuos trãsmigrare voluisti,
ne insvetus ad labores Religioni debitos erubesceret.
Ardua prima via est.
Leuiùs Athlanti assueto ad magnanima pondera grãndem Cœlitum
baiulare molem, quàm Tibi Religionis grauitatem.
vbi vires defecerant, ibi laboribus suffeceras.
Vbi arte caruisti, ibi heroico compensâsti Animo.
Herculeo quippe indiget artificio,
plusquam Lernæa salutis humanæ bestia.
Quoties ferrea mortaliũ præcordia mũdanæ vanitatis magnete trahit,
toties dehiscente abscondit voragine.
Pretiosum Tuum non traxit Animum;
quoniã trahendi aurũ rerũ genitrix natura
capacitatem magneti denegauit.
Toxico pestilenti totum impleuit aera,
Christũ ipsum spirâsti ac respirâsti, nunquã expauescere potuisti.
Regna diuitiæque huius mundi repræsentantur,
nihil istis nisi Auerni emitur profunditas.
Quò magis infernalis Draco se Tibi opposuerat,
eò magis interitum suum sentiebat.
Speculum Bs Virtutum Dotumque Spiritualium;
ob inspectum in Te suæ deformitatis illũ interimi necesse est.
Nisi mortali cinere humatum suscitare velis Herculem.
artem edisceres eiusmodi Hydram succolandi.
Sed faciliùs Tibi sanguineo sudore hoc in negotio manâsse,
quàm artem reuocandi de bustis mortuorum corpora, quæsijsse.
Ideò indiès lachrymas seminâsti, vt Laureas victoriæ meteres.
Ideò laborâsti, vt æterni Præmij Autor Te reficeret.
Aculeis insitũ peragebas tramitem, vt rosis coronareris.
Quàm pulchra sunt spinarũ media ad finē roseæ vitæ conducentia.
Quàm formosũ licèt nigrum Religiosum Indumentum,
cùm liliatum soleat transmigrare in Pallium.
Hæc est Beata Metamorphosis.
Compendiũ illud Tibi fuit omnium tristitiarum in tempore,
sed vnius Gaudij principium in Æternitate.
Quàm fortis perennis Gaudij munitio,
cùm numerosis dolorum obarmetur cuneis.
Tam inaccessibilis vitæ æternitas,
quàm malorum, numero momenta excedentiũ circũdatur custodiâ.
Ad expugnandum difficilis, dũ lacrymarum circumfluit Oceanus.
Et iam; obstupuit in Te fallax mundus veram Religionem:
copiosas diuitiarum vmbras quoties Tibi proposuit,
toties ad Paupertatis Tuæ fulgorem euanuit.
Nescit pauper animus ad lucem non eluctari,
cùm illinc

cùm illinc centrum ſuum habuerit.
Non potuit tamen manere Sine liuoris incendio,
Vt fuluum ſpectatur in ignibus aurum.
Luculentiùs patet in ſpinis roſeus rubor.
Haud potuit purpuratus Tuus Animus ſpinarum euitare aculeos.
Tumidos Faſtus Tentator Tibi propoſuit;
ſed forti Humilitatis Tuæ iaculo hos diſſipatos deplorauit,
potiùs ab altis quàm ab imis ſperans ventura fulmina.
Nec mirum; quòd mortalium animos fragilitati obnoxios tētat hic,
qui quondam Omnipotentis DEI tentauerat Mentem:
ſi Filius Dei es dic lapidi iſti vt panis fiat. *Lucæ cap 4.*
Quàmdiu in Te intendiſſe Cupidinis arcus luctabatur,
tādiu Chriſti Scuto tela retūdēte à semetipſo īflictā sētiebat cicatricē:
Peſſima inuentio ceſſit in autoris exitium.
Viciſti, proſtrâſti ARCHIPRÆSVL GLORIOSISSIME
Tuos heroica Virtute inimicos:
non immeritò Coronam laureatam obtinuiſti.
Admirare Regia Excellētia depreſsū ſed ſecurū ab omni metu Animū,
Spectaſti nihil habentem & omnia cōtinentem egeſtatem.
Vidiſti Nobilem Sanguinem humi ſerpentem,
ſed præaltos Honorum Vertices decorantem.
Arundinem uento agitatam vitæ ſtabilimentum portaturam.
Cannam in palude Triūphatorum Laureas ſuperantem.
Ferreo atq; duro indutū veſtimēto corpus,
cryſtallinas expugnans Cœlitum Arces.
Hæc ſunt in Vera Religione,
nam qui mollibus veſtiuntur in Domibus Regum ſunt. *Matthæi cap: 11.*
NEC VLLVM LEVEM ICTVM SVSTENTVRI.
Spreuiſti mundi pretia,
calcatusq; Tuo ſub pede lucet Onyx.
Præiudicaſti ratione ſolida humanā in lubrico ſtabilitā proſperitatē,
nihil niſi perſpicua ſub glacie ſeceſſum in paludem indicantem.
Irriſiſti præclaris gemmarum nitoribus,
vel quia cinis eſt quod ante micabat, vel quia præluſtris Titan honore, quò magis reſplēdet eò magis fulminum auſpex.
Calcâſti diſcolor vnionum genus,
quoniam varijs Iridis funeſta ſpectatur tempeſtas coloribus.
Decuit enim tantum Virum non quod fumat in lumine,
ſed quod lucet in tenebris aſſequi recto eum iudicio.
Sit Gloria Tua poſt fata ſuperſtes;
qui cū Angelica Prætexta brachijs impoſita mores beatos induiſti,
non vt à mala in bonam transmigrares, ſed optimā Optimâ repleres.
Clariorem vendicat valoris taxam duplex vnionū repetitio.
Puſtinienſe intraſti Cœnobiū, haud nomine ſed & re eremis ſimile.
Intrâſti hanc Eremum,
ad ſolitariā ducendam vitam multis aptam, Tibi verò aptiſſimam.
Non abſimilis Tutelari Tuo Indiarum Principi,
Omnia deſpecta mundi habuiſti,
hoc vnico diſcrepabas,
cùm hic totum Regnum dereliquerit, Tu totū Te ipsū deſeruiſti.
Ille ſui Prodromum & vitæ Religioſæ Inuētorē Barlaamū quæſierat,
Tu Barlaamum inueniſti.
Non potuiſti ibi feliciùs renaſci Chriſto,
quàm cùm ſic mundo mortuus extiteris.

Non potuisti fecundiùs hac in Eremo efflorüisse,
quàm cùm eiusmodi Sterilitate Te ornaueris .
Eremi est partus Religiosa vita ,
ab Eremis suum ducit principium .
Sed extra naturam suæ genitricis
non steriles surculos progenerãte, sed Semiramidis hortis ñ absimili
Tibi effloreſcit viridario .
Hic flos inceptis secretus nascitur hortis
Quem mulcent auræ format sol educat imber.

Quot peperit Africa Eremitas, tot Tibi ad vitam Sãctitatis regulas, quot sui Habitatores tot Cœli Incolas Tibi Prodromos educauit . Felix Africa; cõnaturaliter talia parturiẽs mõstra, Felicior Rossia, quæ extra naturæ dotẽ consueuit tãta ex se educere spectacula. Quõdam euacuatæ fluctuabãt aristæ, hodie affluẽtes succreuêre segetes ; Et iam messem multam & operarios multos inveniri concessum est. Non immeritò magnæ Dei Ciuitati hæc Ciuitas comparanda est, illa videlicet numerositate populi, hæc Virtutũ, Pietatis, Religiosorum magnitudine Vniuerso stuporẽ intulerunt .Non potuit ferme Supremus Thesaurus bonorũ Sanctiùs hunc ditare Locũ, quàm cùm tãta Religiosorum deposita extruxisset . Quondam nihil nisi flumina ponti , hodie Pactolus auro ornatissimus gratiarũ influxu Religioni in decoramentũ exundauit : Non potuit abundantiùs spumare vnionibus, quàm hæreseos insultibus agitatus . Culmina olim ad nidos auibus cõstruẽdos, hodie ad ædificiũ Domûs Sapiẽtiæ apta extiterũt. Hic Signũ Victoriæ à primo Rossiæ Debellatore ad perẽnẽ Roxolanæ Gentis gloriam erectum, ad fugandos hostiũ Cuneos stabilitum .

Euolâsti fulminum Minister ,
ad quassandas elatas hæreseos ceruices
in huiuscè cacumina .
Ibi;
quot extruxisti Nidos ,
tot pullos ad solarem Sapientiæ Tuæ fulgorem probasti .
Euolasti, Phœnix viuacissime ,
vt illinc Nidum Tuum Castitate velut myrrha Arabica contextum,
Deo consecrares ,
Incendiarios rogos Fidelibus in pyras triumphales conseruaturus .
Non hìc minantur fluctus marini cristis tumescentes ,
præter solum Mare Gratiarum Mariam ;
illud non potuisti peruolare Ales cursu velocissime ,
in ipsum medium profunditatis cecidisti ,
ac hucusq; felix illud naufragium pateris continuus.
Emollijsti his Gratiarũ fluentis inaccessibiles Vitæ Religiosæ Alpes
Annibal gloriosissime .
Non potuisti fecundiùs in hoc Religioso agro gramina Sapientiæ
proiecisse, quàm cùm beato Rore irrigasses
Seminator Laboriosissime, Ceciderunt in Terram bonam ,
& dabant fructum , aliud centesimum , aliud sexagesimum,
aliud trigesimum .
Fructum in Sapiẽtiæ horreum collegisti,
tabescentes fame satiaturus Animas .
Proinde ;
dulciùs quàm Hyblæis aluearibus , Rossiaca enutrita Cœnobia,
Si rosas in vim gratitudinis promererẽt, Tuã munificentiam
priùs tacito ore permeare , quàm eloqui poterunt .

Quippè Religiosum Tuum Indumentum clarissima ej exornatio,
Lacrymæ ab omni ignorantiæ deformitate mũdissima alluuies.
Sudores in hoc obsequio & negotio Rores sunt aureæ fertilitatis.
Flumina iam lactis iam flumina nectaris ibant.
Labor in Vere auream produxit lætitiarum messem.
Ver erat æternum placidiq; tepentibus auris
mulcebant Zephyri natos sine semine flores. *Ouid: 1. Metamor: de aureo sæculo,*
Tãta fuit ætas in lætissima Tuæ Iuuẽtutis florẽtia Rossiadũ Religioni.
Igitur;
Tanti Tui Beneficij inipsam deuoluti totâ vitâ suâ reparare nequit.
Nec viribus illis munera conueniunt.
Sola Immortalitas hæc negotia in Religionis ingressu
à Te libenter consummata, triumphalibus Tuæ Gloriæ Obeliscis,
rigido quia perenni scalpro exarando,
Immortalibus Tibi vicinis penset Honoribus.

# GRADVS
# LABORIS,

*ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI PATRIS*

## P. IOASAPHI KROKOWSKI

ARCHIPRÆSVLIS, METROPOLITÆ KIIOVIẼSIS, HALICẼSIS, totiusq; Rossiæ:
In erectione de bustis & cineribus Athenarum Kijouiensium,
in renouato iterum post multos annos Studio,
in dilatanda Rossiacæ Mineruæ Gloria

## SVBLATI.

á Musis Patrijs triumphali Carmine ad feliciſſimũ eius Introitum

# CELEBRATVR.

Pandite defensum reduces Helicona sorores,
Pandite, permissis iam licet ire choris.
Nulla per Aonios hostilis buccina campos,
Carmina mugitu deteriore vetat. *Claud. lib 2. in Rufinum.*

Arma virosq; cano celebres Virtute fuisse
Rossiadum Terræ, dum primus Laudibus orbi
Princeps Vladimirus luxit: cui splendor ab armis
Natiuum Generis celsi lustrauerat ostrum.
Nil nisi Marte suo tepidam penetrauerat auram,
Sentijt occasus robustum sentijt ortus
In bellis animum, tumidos stratagemma premendi.
Victrices Laurus Annosq; legebat amœnos,
Rossum Nomen erat multis cunctisq; tremendum,

Cùm Thraciæ Cuneos ferro proſtrâſſet inanes.
Ornabat ſpolijs humeros ac tempora ſertis,
Calce triuphali contraria corpora preſſit.
Sub juga non venit dominanti protinùs vlli,
Pondere ſed didjcit gentes frenare ſuperbas.
Aurea prima ſata eſt ætas tellure fluente
Mellifluis, Hyblæ ſtillantis in agmina, ſuccis.
Roſſia diuitijs fluuios ſuperabat Iberos
Nullus obex tantæ ſorti pugnabat in ipſa.
Fœdera corripuit ſtabilita nec hoſtis & vmbo,
Incola quisque ſuo ferro diſcuſſerat ictus.
Euxinum toties Pontum percurrit, & armis
In ſpolium verſas arces gens illa venuſta
Traxit, & auratos in Græcis nacta Triumphos,
Et ſtatuit pactum ne ſit lædenda Libertas.
Tantos laude fuiſſe Viros cautauerat altum
Orbis iudicium, præclaraq; geſta Trophæis.

Sed caruit pretio ſolo ac ingente Mineruæ;
Hic dolor hæ luctæ penetrabant corda frequenter
Languida Roſſorum. Nam Græcia polluit omni
Arte ſcientifica, pulchrumq; remâſit in illa
Et Decus, & mores ſteterunt ſine vindice tuti.
Talia voluentes animis, nec cura nec hoſtis,
Nec Ceres & requies tentabat & abditus auri
Cenſus, quippe nouum non extat mentibus illis.
In noua fert animus tentare recondita rerum.
Conſiliumq; ſuum ſtabili ratione tueri.
Et licèt auratos habuerint laudibus annos,
Horas duxerint in apertis cuſpide campis.
Aſt ars naturam perfectam reddit, inertes
Sunt gladij Scythicas criſtas terebrâre tumentes,
Si non tranſit edax rubigo cote polita
Palladis, ac hebes mutantis in acria quæq;.
Ecce petunt Studium à Græcis, doctiq; lycej
Semper iter diſcunt primordia læta ſequuntur.
Sunt elementa quidem deſit Sapientia tota.
Non aliter quàm perſpicuum ſi fulgur ab alto
Emicat, atq; breuì tranſit, permiſtaq; nimbis
Fulmina demittit lætas terrentia mentes.
Roſſaq; mens iterum curas migrauit in altas
Belli, non oblita ſui per ſæcula multa
Muneris antiqui, firmâ poſuitq; ſalutem
In ferro, fines proprios patriosq; penates
Defendebat eo, cupiens lætiſſima prædas.
Aſt daret in prædam ſe totam ſummaq; grandis
Pignora theſauri, fieret ſi Pallas emenda.
Carior hæc pretio rutilanti, carior auro.
In lacrymis annos vitam ducebat obortis.
Pectora iam fruſtra tremebundaq; corda cauauit
Alluuies talis. Paſſum finire dolores
Cùm nequeat; nam quo magis extenduntur inanes
Multiplicant augem. Lacrymis ſubmerſa maneret,
Continuis

Continuis, [ si non Numen Cœleste iuuaret ]
Rossia. Cùm subito æthera delapsus ab Arce
Vir sapiens, Audax altaq; Propagine clarus.
Et veram referens Genitorum sanguine formam
Moldauiæ Princeps antiquus, in auge recentis
Constitit, hic laudis renitenti lumine tinctus
PETRVS, Cognomenta ferens a Colle, Mohila, *Mohilorum Familiá ortá est à Mutio. de qua fusè Simon Okolski Tomo ii.*
Nobilis à Patribus. siluit iam plangor ad auras
Rossorum Populis, bustis & humata Lycea
Surexêre, nouam membris reparantia formam.
Non secùs ac aurum cineres in viscere condunt,
Postea; stante decore patet fulgentiùs omni
Aut dum de liuida foditur tellure monile.
Fundamenta dedit Studijs. Ab origine Longa
Nil habuêre suum; dedit illis flore venusto
Perspicuis ridere Comis nec fulmina sæuæ
Sortis, & in strages positas timuisse cateruas.

Sed quia mortalis fuerat uitare sepulchrum
Non potuit mortis, legiq; subesse feroci
Debuit. haud omnes illam vitare potestis.
*Seriùs aut citiùs sedem properamus ad vnam.* *Ouid: Lib. 10 Met:*
Nascitur heu iterumque dolor renouatur auarus,
In Rossis; Iterumque genas stipatur opacas.
abripitur mœstis oculis, cadit Alta Columna
Delectans oculos faciens immota lycea:
Non stant in Petra Petro non stante Benigno.
Labilis, vt ventis rapidis agitatur arundo
Est Pallas, celerem spectare coacta ruinam.
Heu quid liuor auare Stygis nocuêre modesti?
Quòd nullum. Inq; bono atq; malo discrimen habebas,
Tot bona quot roseis arrisit floribus hortus
Non parcens lachrymis rapuisti: siste, quid optas?
Desine jam, volucres miseras velut Ales Olympi, *Aquilá*
Magna sequi nostrum velareq; Nomina busto.
Nil durum, stygium Fatum quod dente tenaci
Non rodat seu non præscindat stamen in annis.
Vnus erat, fulcrum solidum labantibus Aris,
Horrida quem parcæ truculentæ protegit vmbra:
Lumine dum nullo niueo resplendet & ipsa,
Lumina tot rapidis fulgentia faucibus hausit.
Hauriat ergo suo vacuum liuore cadauer,
Dum volat ad Superos animus celsosque Penates
In quadro * Positamq; domû & crystallina Tecta ** Ciuitas in quadro posita est: Et Portæ eius non claudentur per diém, nox enim non erit illinc. Apocalyp; Cap. 21.*
Luce frui. Hoc solo mœstæ lætantur Athenæ;
Lætitijs vmbram tempestatemq; serenant.
Et licèt hic Opifex prudens fundauerit omni
Has splendore scholas, & eburnea saxis
Fūdaměta dedit, Leges mandauit ahenas,
Ingenti pretio, Libris, ditauit & auro.
Ast vbi disordo conturbat nil juuat aurum.
Defuerant caris generosa gubernia rebus;
Æs erat haud fuerat, summos, directus emendi
Nempe modus seu norma Viros, & habere mucrones,
Vt possint cristas putridæ reserare tumentes.

Hæreſeos pridem iacientis Tela cruenta,
Toxica vicinis nobis ſpirantis ab oris.
Nil niſi, dico: chaos commota lycea tenebat.
Res nec iter rectum factis habuêre gerendis
Et velut in ſomno Studij ſtructura manebat.
Sic; cùm condiderit Supremus Iupiter Orbem,
Maſſa fuit ſimplex vllis non inſita formis,
*Obſtabatq; aliis aliud quia corpore in vno* — *Ouid: lib: 1. Metamor: de creatione mundi.*
*Frigida pugnabant calidis humentia ſiccis,*
*Molliá cum duris ſine pondere hábentia pondus.*
Talis & in Studijs noſtris diſcordia viſa eſt.

Sed Deus hanc litem pacto meliore diremit.
Roſſos deciduis lacrymis miſeratus onuſtos.
Sedibus ex altis miſit Digniſſime PRIMAS
TE, Steriles mentes glebâ renouare ſepultas,
Et redit, inq; nouam Speciem renouata Minerua
Non ſecùs ac brumæ, Laſſos, Aquilonibus. hortos
Ver ornat Zephyroq; tegit perflante venuſtas
Frondes, purpureo pubent vaccinia ſucco.
Dum iam non potuit Nomen, Virtusq; latere
Continuis humilis vitæ præclara ſub vmbris,
Venit & illa dies. tempus cùm maxima Diuûm.
Dona fuiſſet opus cupidum monſtrare per Orbem.
Sicq; decet præcelſa Viros. intrare per ima:
Non Honor, è ſummis ad ſumma meare potentûm,
Nam latet aſſiduò terræ theſaurus in imis,
Hunc quoq; quis vidit volutabili in âere condi?
Grammatices mediam claſſem formare labore
Curaſti, iuuenum Studioſam reddere mentem
Luctatus quoties, toties Largitor abundans
Exciteras. veluti denſos currentia nimbos
Munera reddebas, recti fronteſq; capaces
Fertili decies ſparſiſti ſemine, cunctis
Robora firma locis poſtremis facta perenni
Nunc durare bono, paſſus remeare venuſtos.
Vt probat ad ſolem pullos bene Regius Ales,
Degeneres frangit, generoſos pectore ſeruat.
Sic mentes artis, fulgente nitore probaſti.
Sorte pari dignos, vero candore fouebas
Atq; malos, patrare bona hos, meliora tenere
Illos Tentabas; & iners & prõptus habebat
Laudes, Nam radiis hortos mœſtaſq; paludes
Illuſtrat Titan paribus, æquouè meatu
Producit partus. cauſat ſui munus vtriq;.
Hoc Tibi principium ſteterat præalta meare
Culmina, Purpureiſq; tegi modò Veſtibus armos.
*Virtus recludens immeritis mori* — Sed Virtus. paſſus habeat; Sine paſſibus vllis
*Cælum, negatâ tentát iter uiâ.* — Non ſcandit celſas hirſuto tramite ſedes.
*Cœtusq; uulgarês & udam* — Altiùs iuiſti, ſtabili nec laude carebas.
*ſpernit humum fugiente penna.* — Grammatices Claſſem ſupremam ſanguine tingẽs
*Horat lib: 3. Ode 2.* — Auratos partus animum generâſſe dediſti.
Vtq; Polus ſuaues reddit de nubibus imbres.
Dos ſuper exiguos inopeſq; cadebat oborta.
Tantæ molis erat ſapientem condere gentem;

Pluſquam Romanam fulcris ſublimibus Arcem ;
Hìc labor, hicq; valor conſtat non vilis amoris.
Tempus edax muros ſpinoſo dente momordit,
Hæc immota fouet cedris, memoranda Vetuſtas.
Non priùs Aluari Conſtructio sculpta manebat,
Quàm Tuus in ualidis rebus proceſſus honeſtus.
Pulchra merè probitas clariſſima regula morum.
Et ſpecies multis, præclari paſſus Honoris,
Nobilis ac animi cenſus, depreſſio prudens,
Suauis in alloquio mirus progreſſus ad Alta.
In pœna dilectus eras; in munere gratus,
In Studijs facilis vultu venerabilis ipſo.
Lilia cumq; Roſis ſpargebas ore venuſto.

Et iam Roſſorum tabulam; ſors naufraga tutam
Inuenit, vitam ſignant vbì fata quietam,
Poſt triſtes planctus lætumq; celeuſma canebat.
Dum ſui mergendam formam reparauit ab vndis.
Non aliter poſt quaſſatas Aquilone procellas,
Gaudet aquis Zephyro placidis, cùm littora cernat
Nauita; ſeq; putat fato meliore renaſci,
Principijs nititur ſolidis; ſed poſcit & vltra
Altius aurato moliri Roſſia Lucrum
Viſcere; cùm cernat varijs vicina lycea
Munus hàbere modis, quibus alta SCIENTIA grandi
Stat veneranda loco, roſeis protectâ Coronis.
Optat Apollineas Artes & barbita plectris,
Muſarum ſtipante choro, tangenda ſonoris.
Te rogat & plantas meritò ſe ſternit ad imas,
Vt facias finem ſtatuens ſudore benignum
Principium, ne ſit ſæclis abolenda vetuſtis,
Facta Minerua Tuâ (cum fas ſit dicere) Coſta.
En Tua firma virum Largum perſuaſio cogit,
Qui tres ære Scholas proprio conſtruxit & auxit.
Cœpiſti curas Inuentor primus & autor,
Contiuuis reſonare ſonis, Heliconis in vndis.
Terruit externos fines reflexio vocis
Oblectata ſuis, Longæuumq; omen in annis
Promittens, rutilante vehi iam lumine ſoles.
Altior inde gradus ſed onuſtus vt axis Olympi.
Sideribus multis; veniens ſic cura Lacertos
Magnanimo Studijs in celſis pondere preſſit.
Sed facilis tolerare modus Tibi pondera tanta
Cui pigram Mentem à cunis Lucina negauit.
Cùm dederit ſtabiles ludis puerilibus annos
Immunes; ſine labe dies perducere Caſtos.
It labor ac nitido duplices vehit axe triumphos.
Hoc toruas poteras facies proſtrâſſe Leonum.
Nullus obex impugnat ei ; *Labor omnia vincit.*
Caſtalios fontes riuis impleuit amœnis,
Nilus vt ægyptum, ſic noſtræ climata terræ
Fluctibus auriferis, refluo circumdedit amni,
Hæc erat in docto ſtabilis Sapientia verſu.
Inq; docendo fuit ſudor qui vicerat almos
Nimbos, vere ſuum generantes flumine pignus;

*Michaelem olim Chiliarchám Hadiacenſem.*

Commoda portantes spectantibus orta Colonis.
Ardua dum cernens pigræ Tua carmina fronti.
Ipsum Te tales artes nescisse putâsti.
Neuè dolenda foret solus doluisse malebas.
Grandibus in rebus metam Te quæq; facultas
Inuenit, positum Thesaurum pectora norûnt
Menteq; suptili quoties ad celsa volabas,
Sidereo toties fueras spectabilis orbe.

Carmine Rossiadum sine mole instructus Apollo,
Vt caneret celebres Animos & Honore nitentes.
Hæc priùs haud alijs inuentio conuenit vnquam,
Quàm Tibi, nam superat cunctas Tua Tænia laudes
Debet honos dignus, versu seu floribus auctus.
Sed Tua dum confert vaga sunt, & munera nulla,
De donis rebusq; Tuis sua debita reddit.
Credo equidem nec vana fides hæc gratus habebis.
Nam mare conuersum flumen non respuit vnquam,
Viscere conseruat, totum licet effluat ex se.
Prætereà cantu modulante Pierides ipsæ
Læta trophæa Tibi geminent, & versibus illis
Quos à Te referunt, fronti diademmata nectant;
Hæc Tibi sufficiunt nunquam leua metra sequentes
Cantatura Toros, ac laudum Rostra Tuarum.
Riuus in Hippocrena caruit spumantibus vndis
Iupiter iratus forsan conclusit Olympum
Defuit Elias precibus tunc astra recludens
siccatum rorante solum vt circumfluat imbre.
Te luctante bonum demissaq; Gratia Cœlo
Decidit ad siccos, placato Numine; cliuos,
Quos Parnassus habet, musæ quos pæane claro
Ornant & Lauro iuueni vittisq; coronant.
Cùm lacrymis vitam tetram seu Lustra dedissent.
Donec erat lapsus deculmine nimbus aperto,
Hunc nimbum fateor Te missum Maxime Primas,
Qui sudore Tuo fontes & Apollinis amnes
Rigâsti, Patriamq; Tuam: quæ sanguine tincta
Mellificas Hyblas, fructus excreuit in omnes.
Verus cœpit ad esse latex ac alueus ingens
Nante repletur aqua spatium diffusus in amplum.
Vtq; æstate noua ripas circumfluit vnda
Postquàm condiderit se in viscera concaua ponti.
Propterea genuit maturas sudor aristas,
Effecerê Tibi messes hæc cara fluenta.

Gloria non minui sed abunde resurgere debet.
Non minus opprimitur quàm palmes surgit in altum.
Altiùs iuisti serto florente Pöeta
Cinctus ad argento compacta virentia tecta,
Rostraq; septa comis nitidis, vbi Tullius ipse
Insidet, ac auro lucentia tempora gyrat.
Qui labor hic pressit, diligentia quæ fuit illinc?
Nocte dieq; vigil custos Tui muneris ampli.
Primo virtutem dederas verumq; Laborem.
Nam nihil est sapiens docta probitate ruente,
Non stat opus menti pigræ sudore carenti.

Postea

Postea lustrabas animos Conceptibus altis.
Puncta quot in vario Stylo tot amœna ferebas
Dona Tagi spumantis Auaris mercibus auri
Voluentis pretium dispersaq; munera ripis.
Commata ponebas, largo taxata monili,
Quodlibet ex dictis nutriuit pectora succo.
Romanas Cicero luctas Tu dura fluente,
Mollia fecisti sermone, ferosq; modestos.
Membra tropum tenuêre suum nil absq; figura,
Altus vbiq; modus suadendi recta facultas.
Horâ quâq; Tuos Virtus transferre volebat
Passus, & nunquam permisit honore morari
In paruo, sed auara petebat in omnia ferri
Culmina; Teq; trahi nolentem læta volebat.
Felix hora fuit, steterant qua Limina Prima
Huius, in immota Studij tunc base facundi,
Faustus & Inuentor rudibus primordia reddens.
Quem Te donârunt Cœlestia Numina serò,
Estq; Tuæ partus mentis Patrijq; laboris,
Quòd nunc eloquijs in Rostris Rossiia pollet,
Pneumatis Æterni geminantur & organa multa,
Prospera de Templis resonant Oracula sacris;
Hæc recreant Christi partes artusq; fideles,
Illa ferunt animis auguria certa salutis.
Radix vna decem virgas producit ab astris
Influxum capiens & rore cadente feraci.
Vnus es & multos fructus laurusq; creasti.
Gangis vt ornato rigatus de super amni.
Non eget in rebus suadendis nostra Catone
Patria, iam multos cernit similesq; Catoni
Læta Viros, quot ouat folijs Dodonia sylua,
Quot cristas densus Nerei vehit amnis aquosas,
Tot sunt melligenæ linguæ pro laude loquentes.
Hæc Tua non harum constat plantatio PRÆSES
SVMME; Tuo cerebro Pallas cadit Alme Magister.
Vnius obnoxam Paridis deperdita Troia;
Te vnius ob curam fundata palæstra Columnis,
Ac hucusq; viget celebrata facundia rostris,
Fertili dulciq; rosa mox ore perorat,
Ignotas tenebras rutilanti Luce fugauit.
Non aliter Cœli Titan prælustris in auge,
Aut speciem nitidam stellis aurora fugatis,
Axe gerit, terris primæua crepuscula pandit.
Incomptus quondam Cicero modò planus & auctus,
Antiquam posuit, tegitur modò veste niuali:
Ac vt hyems siluas ornat candore sereno.
Sæpe nocens olim stola, nunc immunis adornat;
Est sapiens prudens conceptibus inditus amplis,
Exuit antiquas vestes non exuit emptas
Antiquâ taxâ laudes; excrescet in æuum,
Postera quem roseis donabunt Lustra Coronis.
Teq; priùs Cœlis prædicet sera vetustas,
Qui immotæ rigidis fatis molimina Basis
Fundasti, stabilem præceps artemq; tulisti,
Quæ non est sterilis sed amœnos quolibet anno,
Progenerat partus stantes ad sidera Cœli.
Et iam conspicua cœpit candescere dote
Rossia. Consilium recta ratione coronat,
Ciuiles luctas placat sermone facundo.

Rem penetrat solidè coniungere mentes
Norît, habens conceptus arte politos,
Exedra Doctrinis Hyblæis non vacat orba.

Ast artes superat Regina scientia quasq;
Dirigit has omnes sicut Regina ministras.
Floribus vtq; præest cunctis rosa complet & ornat.
Vulgus erat nunquam proprio sine Principe tutus.
Arma ferenda licet perfectè Rossia norît.
Abdita nesciuit dubitans mysteria rerum.
Quod natura suo latissima viscere condit.
Indiga principijs physicis, quæ condita produnt.
Nosceret vt verum Logicos gauderet habere
Nempe modos, ignorum inferreq; noto.
Te poscit venas animo reserare seclusas,
Nempe quid intus habet Genitrix pulcherrima rerum,
Cùm sit corporeis condignè Gorpora nosse
Pulchro velatas formas nouisse colore.
Et varijs subiecta simul virtutibus aucta.
Quid mare seu Cœlum quæ dotes sidera tentant?
Qualis & influxus sit agentis in organa tendens,
Qualiter oppositum pugnat, frigusq; resistit
Corporibus calidis: bellant albentia nigris?
Hic nouus incessit conatus acerbaq; Lucta,
Et Tibi rimanti perplexa voragine monstra,
Suinx est difficilis menti facilis Tibi PRIMAS
MAXIME, dum latebris abscondita soluis apertè,
Indoctis animis ignota solutio parua;
Magna nec ad mentem quando peruenit opacam.
Quæ sit ventorum, terris, habitatio sola
Sub gelidis; vbi Caurus & auster & Eurus habenis
Horriferum Boream frenant; sub tartara mittunt:
Horum quaq; ferox habitat Rex Æolus arce,
Quo veniunt hominum motura tonitrua mentes?
Corpore quo confecta manent, quæ forma resistens
Excelsos tumidosq; ferit sæuissima cliuos?
Quamq; fouent molem celsis meteora sub astris,
Qualis causa nouæ stellæ remanentis in altis,
Vnde cadunt stellante micantia fulgura Luce
Regio quæ siccans seu humens àeris ampli.
Quales iris habet species præcincta colore
Post nimbos vario. Vnde cadentia sidera facta.
Tempore quo primum capiunt viuentia motum?
Hæ res perplexum curuumq; uolumen habebant.

Harum ignara fuit quondam nunc omnia callet
Patria, Te discit studium spargente uenustum.
Non poteras præstare bonum iam majus vt illud.
Quot docuisse Viros, fateor, tot lumina vastæ
Te Europæ peperisse nitentia laudibus Orbi.
Philosophia stetit, recti cuiusq; magistra
De proprijs aliquod Diuina Potentia rebus
Donat ei; similiq; sibi ambæ dote nituntur:
Hæc facit ex nihilo subiecti cuncta creanda,
Næc creat ingenijs summo molimine formas,
Quod prius haud tenuit quidquam modò labe piata
Mens iam pura nouum sapiens sibi vendicat esse.
Tam Patriæ Patrijsq; dedisti munus abundans,
Non eget externis cupiens sapientibus; aucta
Te curante suis; grates exsoluere debet.

Cúm videat Cœlum captu rimatur acuto,
Astrorum speciem multam tot Lustra precatur;
Cùm scrutetur aquas guttis tunc comparat annos,
Cùm cernat calidos ignes, ardescere dicit
Ad Superos probitate Tuum sub nomine Zelum.
Nam primus Doctor candore notabilis ipso *Primus Doctor Philosophiæ.*
Missus es à Cœlis duplicem consistere cursum
Conatus. Sed auara Polonia & inuida recti
Postquam rescierit Studiũ florere per oras.
In duplices partes quanto liuore resecta
Obstupuitq; comis surgentibus, hæsit in ore
Vox mala, pro nostra secta, sua Verba Locuta,
Membra pauore fero trepidantia perfida gessit.
Vt qui fulmineo subitò perterritus igne
Sternitur; & semiuiuus humi respirat in auram
Ipse suæ vitæ dubius simul inscius hæret.
Strideat immanis liuor: Durissima Virtus
Conterat hunc dentem plaudenteq; laude triumphet.
Quid nocuêre rosis spinæ licet agmine denso *Theophrast: Lib: 6. Cap: 6.*
Crescant inter eas cinctas ridente rubore.
Nunquam marcescunt flores serpente colubro.

At nostrum quodcunq; velit sibi clima fidele,
Nil facit absq; Deo diuisa gubernia nutu
Dante; quid ingenium celsum si fine careret;
Et ratio ratio non est si tendit ad alta,
Suppetias renuente Deo, manet omne sub illo
Principium faustam debens præscribere metam.
Et quia rerum Opifex cur finis earum
Non posset, viuunt ipso seu cuncta mouentur.
Absq; Deo generosa scientia quæq; fatiscit.
Inscia res cuius non noscitur esse Creator.
*Os homini sublime dedit cœlumq; uidere* *Ouid: metæ: 1.*
*Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus.* *de Creatione hominis.*
Artificem pulchrum de pulchro pignore nôsse
Dos est naturæ, Factorem cernere factis.
Ast opus est studio quod & in Factore reclusum,
Doctâ siue piâ dotes has mente tueri,
Seriùs exiguo fluctus haurire palato
Diffusi pelagi, quàm cui Deitatis habere
Notitias, operum mysteria, maxima Dona.
Et si gutta cauans, granumq; papaueris vnum
Naufragium peperit doctis scrutantibus intus
Quæ partes istis? qualis coniunctio stringit?
Nec cogitetq; rudis tantum terebrare volumen,
Perpetuæ sit molis, opus sit mente perenni.
Horum Theologia capit mysteria tanta,
Non sunt perspicuo Naturæ lumine nota:
Nam superant; pugnant nunquam, sed in alta feruntur,
Infinita manent quoniam producta Parente
Tempora qui palmo mensus, qui pollice lustra,
Infinitus habet uitam nec clauditur vlla
Parte loci, reliquasq; tenet sub viscere dotes,
Quas nisi Principijs Diuiua Scientia callet:
Quid facit internis, externis quid cteat ipse
Actibus? & Natura Trium quæ? qualis habetur
Partus amorq; suus; quanto produxit, amauit;
Nempe modo? Rebus voluit præstare creatis
Quæ bona? respectu quali præuidit in annis

Venturis castam Diuina Mente Puellam : *Beatissimam*
Quando Pneuma Dei Sanctos formauerat Artus, *Deiparam*.
Sanguine iuncturas puro, stabiliuit in hillis.
Hic ignis rapidis consumens omnia flammis
Corpora, cur teneros non ussit Virginis artus ?
Vnum Compositum factum mirabile dictu ,
Naturam duplicis generis Persona recepit
Vna ; modo meliore suas donauit vtriq;
Dotes , nequidquam misti reuerenter habentes.
Quòd Deus altus, homo factus depressus iniquis
Fraudibus amentis populi, gentisq; superbæ.
Quæ ratio dictat facilis, quæ causa sciendi ;
Tanta Dei initio mundi Decreta ferentis.
*Primus Doctor Sacræ Theologiæ.* Propterea Studio præclaro Rossus egebat.
Tu primò studium tantum Celsissime PRIMAS
In stabili Petra fundâsti. Mente, labore.
Doctrinas illas populo moresq; tulisti:
Inconcussus enim nostris stat murus Athenis,
Effluxête Viri tanquam de flumine ponti ,
Multi condigni, trabeatis culmine Mitris.
De Summo Magnoq; Deo Doctrina remansit ,
Ac hucusq; viget minimè liuore premenda ,
Dat Deus auxilium : studijs elementa dedisti
Communes Dotes numerans, Dos chara Parentum .
Tandem Secretum Trinum rimatus , amante
Iudicio tantas grauitates propter amorem
Numinis Æterni, qui finis & vltima meta ,
De Trino præcepta facis , nam Cultor es huius ;
Tres Charites nutrijsse [ loquor ] TE MAXIME PRÆSES
Pectore, cui labijs facieq; modestia ridet.
Non poteras cursum finire labore quadratum.
Vno quàm plures anno satiâsse volebas ,
Impediuit Honos qui pridem Facta poposcit .
Incusatus erat retinens sibi Lumen amœnum ,
Cùm subitò cunctos , absente, reliquerit orbos.
Consultò voluit lachrymis auxisse dolorem :
Diuitias sortitur Honor quid carius optat ?
Vnus eras Doctis Thesaurus at ille relapsus.
Ast ferit hic ventos qui altos accusat honores ,
Non honor in culpa Virtus Tua maxima Dotum,
*Otium elari fugiunt honores. Nobiles ducit labor ad triumphos, Sudor insignes iter ad coronas monstrat apertum. Mantuan: lib 2.* Virtutem sequitur condignus Honor: ruit omnis
Hac absente, refert pro laude recondita damna;
Candida iam Probitas pensauit Honore laborem .
Altiùs aggreditur, volucres amor addidit alas.

Nostra Palæstra Tuo solido fundata Labore,
Non commota stetit fato iaciente ruinas ,
Laude triumphabit messura ferocia colla.
Hanc vt in immobili saxo in Virtute locasti,
Nec tristes valeant inferni euertere portæ,
Tela nocent nusquam Vester circumdat Amictus ,
Clarior in studijs ipso lucebit olympo ;
Vt sol gaudet equis , exortus in auge, serenis,
Lunaq; cùm nebulas cornu dispellat opacas .
INDE TVVM NITEAT PLAVDENTI NOMEN HONORE ,
LVCE FRVI DABITVR TANTIS IN SEDE SVPERNA .

*Reddidit Iustis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, in luce stellarum per noctem.* *Sapi: Cap: 10, uersu 17.*

# APOSTROPHE
## GRATVLATORIA
## HONORIS,

*ILLVSTRISSIMO* ac *REVERENDISSIMO ARCHIPRÆSVLI*.

Eam Tibi Honoris Excellentiam communi Orbis Rossiaci cũ auspicio aggratulor, quã ĩnumeris Virtutũ meritorũq; Tuorũ superintrâsti gradibus. PRIMAS DIGNISSIME. Non priùs Te elatum in huius Dignitatis vertice admirabili conspicio animo, quàm gradus emeritos, immeritis ignobiles Tibi notissimos ad ascensum intueor. Non priùs Pastorale Sceptrum honoratæ Tuæ Dexteræ totius Patriæ Suffragijs exporrectũ admiror, quin; doctoralem probitate adornatam tremebunda mente contemplar Lauream, laborumq; palmarem grauitatem. Quoniam; si hæc non fuissent, difficilè foret ad altiora scandere viam, difficilèsq; aditus ad minoris momenti dignitatem haberentur, quàm ad eam, cuius inter Tiaras amplitudinem desuper benedicit Autoritas Domini. Exiguus ille honos, ac graui casu ruitura excellentia, imo ipsi Euãgelicæ in arena collocatæ, ventorum rabie aquarumq; influxu dissipatæ Domui comparandã censeo, quæ ullo eximij rectefacti. caruit fundamento. Spectatis super enumeratis Tuis Meritis, cõsideratis ab ipso infantiæ tempore circa bonum commune Ecclesiæ laboribus; si quis indignũ Te præsenti Dignitate censuerit! Examinatis reliquis Virtutibus, quas ab defectum humilis sepia exarare non potuit, si quis superioribus Te dignum Eminentijs negauerit! Certè conspectu expressorum rudi calamo, hoc Augusto in Honore meritus es supereminuisse; intuitu deniq; absconditæ Tuæ humanis ingenijs Probitatis, plùs grandiores obtinuisti. Et si Tua abscodita quæq; in lucem prodijssent, suis honoratis muneribus, suo eruto ê terræ visceribus pretio, præsens egenum sæculum minimè suffecisset. Parcum est præsens sæculum, cùm inter merita grandium Virorum nesciat proportionem, quantòq; magis opus excellentius, tanto magis depretiare cõsueuerit ãtiquitati lõge absimile. Hæc enĩ minimũ facinq tantòpere æstimauerat, vt Regijs vectigalibus, Principũ insignijs pensauerit; tantòpere super emeritos respectum habuerat, vt nec athomum rectefactorum prætermittere voluerit. Pro exiguo aut nullo facinore, Tymotheo dormienti in gremium totam fortunam ingruisse iussit; Traiani semel viduæ miserti annalibus posteritati relictis æternè voluit inscribi memoriam; Theodosij indelebilem tradidit posthumæ ætati pietatem; Dauid, pro funda in Goliath eui brata Sceptrum Izraelitarum indidit, & à Sarcinis in Regiam Chlamidem introduxit. Si his temporibus tanta ornatus insignium operum Magnitudine existeres, innumera Honorum expugnares Augustalia, maluisset potius à Te appretiari, quàm Te augustis adornare honoribus antiquitas. Larga ipsius dextera, siquidem in dandis minimè meritis superabundabat beneficijs; Tibi vt pote ad dotes fortunæ, ab ipsis constituto cunabulis, totam se subdere in præmium haud denegaret. Et quoniam hac ætate parca muneribusq; deficiente Natalis Horoscopus Te genitum voluit, non

*Regum 18.*

habet vires tot tamq; clara merita Tua reparandi, posteritatẽ petit; vt attemperatis viribus sufficere possint Tuæ Dignitati; quodq; vnũ deserit id alterum recuperabit. Neutrum tamen vniuersa adorearũ tributa intra suam sphæram comprehendere valeat, cúm licèt proprio conatu acquisitas dotes numerauerit, sed majorum in Te expressas imagines, sola sortitur antiquitas, sola indelebili exarauit charactere. Ne lateat ĩabscõdito æterno splẽdore dignũ Tuũ nobile Genus, quòd, cũ ab Antiquis, acquisiueris vero sãguine cõdecorat9, omnis gratiæ omnisq; beneuolentiæ pretiosa imago extitisti. Quanquàm Virtus regia Te Nobilẽ effecerit, gloriosaq; gesta in Religione Roxolana nouum Tibi Stephanoma imposuerint; clariori tamẽ ista venturæ posteritati apparebunt indicio, postquàm pretiosi Tui Sanguinis gemmis condecorentur. Aurum non splendet nisi Lumine illustretur, probitas non honoratur nisi fortunæ radijs perfundatur. Hanc ob rem Dignitatis prærogatiuà non absimili luce, quàm vt micat axe polus, in gloriæ splendebit plenilunio, si nobilissimæ Tuæ Prosapiæ viuum simulacrum triũphalibus ñ humandæ memoriæ Obeliscis immortalitas exciderit; vt agnoscat Rossiæ Infula quantum in se recondit decus excellentiæ. Principalis hæc Tiara inter Purpuratos: non majùs à suo decore, quàm à Tuo triumphalibus accensõ pyris vendicat æstimationẽ vertice; protegit non opprimit ad summa per ima Tuam gradientem modestiam. *Quoq; magis tegitur tanto màgis æstuat ignis.* Ast ad gloriam pertinet priùs Dignitatem mereri quàm habere, cùm non illustrent Parentum ceræ filiorum tenebras, si proprio virtutis lumine destituantur. Ecquidem; vetustum Nomen, insignia opes ac titulos, imo virtutum exẽpla parentes traijcere possunt in nepotes, præter virtutẽ solam. Illa sunt pulchri casus: Hæc est proprius conatus. Vt deinde posteritas formet animos ex dignitate Natalium, Nobilẽ Tuum censũ insequi erat necesse, vt enim veneretur profunda cum reuerentia honorarium Tuum decus laboris insignia, vicinas Tibi magnifico nisu acquisitas sit opus quærendi dotes. Ne esset stimulante Religionis obedientia alto obliuionis cinere sepeliendũ Tui laboris monumentum, patuit in spargendis rudi adhuc Rossiaco Athenæo doctrinis industria Tuos excellens Antecessores, cùm priùs, ferreo indutum sæculo in aureos momentorum cursus transmutâsti. Nam; stillantes sudoris Tui bis cariores auro gemmæ, tantòpere vilem Rossiæ Mineruam contexto ex se diademmate coronarunt, vt Reginam se exteris Scientijs adorandam mansisse fateretur; demũ extra fabulosos antiquorum fastus, non de Iouis sed de Tuo cerebro ad expoliendas mentes cecidisse. Fatigabit edaci scalpro marmoreòs colossos posteritas, nihil; nisi magnitudine Tuorum circa expiandas ingenij acumine hæreseos belluas, facinorum, ipsa fatigabitur. Cùm igitur post exhibitos communi bono Ecclesiæ Tuos labores, exsolutumq; Religioni Virtutum Principi, Tuorũq; meritorum singulari Prodromæ obsequium, honores celebres ad Infulas Anteàbulones àbire Te cœperit, porrexisti inuitus directricẽ Dexteram gloriosæ Collegij nostri Directioni. Exsoluisti quoq; õne sanguinei sudoris Tui sacræ Religioni pretium, exinanijsti merè Studiosæ iuuentutis literis, publicis Exedris, omne id quod in Te latere potuerat, honoribus quidquã dare caruisti, Temet ipsum condonâsti. Quanta illinc in gerendis rerum ordinibus, in depingendis in iuuenili indolis generosæ candore virtutum exemplaribus industria; non alienas rẽctefactorũ imagines, quàm Te ipsum probitatum ac modesti animi idæam repræsentabas; nusquam in-

*Alexander ab Alex. Genialibus lib: 6, cap 4 summè commendat.*

*Ouid: 4 me.*

uidiâ exemptum Manebit posteritati, orbi venturo patebit non exiguum. Viderat Pustinense Cœnobium Kijouomohilæanam Palladem á reliquis Scientijs, Te laborante, in seminanda florum coronariorum venustate vt Reginam adoratam, eripiens Te ad sui coronamentum, omine infallibili omnes ingruentes in sinum suũ ominatũ erat felicitates, malebatq; potiùs se ipsũ quàm Te amisisse. Quanta enim in hoc suscepto humeris Tuis pondere diligentiæ & curæ difficultas; quanti animi Tui nati tolerare labores in ditanda orba sine Te desertaq; nomine & re Economia fuerat oppressio! Ex Loliis vacuisq; vepribus pulcherrimum, mellifluum, florentis spectantiæ plantâsti Viridarium, de bustis & ruderibus Ioui sacratas omni excellentia structuras decorâsti. Quemq; honorem non sine incremento intraueras, modò Te ipso vt omnis gloriæ compendio, modo Tuâ vigilantiâ, in procuranda his Locis gratia glorificâsti, ex arctis latissima effecisti. Non minùs Pustinense Cœnobium in Regimen suscepisti, quàm de ruderibus erectum stuporem orbi invehente renouasti magnificentiâ. Fratrum numerum paternâ clementiâ non absimilis antiquis Eremitis adeò multiplicasti, vt pro Tuo Nomine præcordijs ac Linguis vt gladijs acutissimis militare sufficerent. Regulam sacram illinc statuisti non ipsos vehementi cogeres disciplina, sed vt prius in Te ipso tanquã in perenni columna edaci scalpro exprimeres. Ordinem in rebus pulcherrimũ decreuisti, quantò magis illis præcepisti, tantò primus, in Te ordinem Virtutum circumferens, ad eum collimasti. Paterna Tua admonitio probis ac peccãtibus æqualis videbatur, cum his ad honestiùs gerendum meliùsq; progrediendum, illis vitæ correctionem desertis pœnis ac castigationibus præceperis. Habet à Te pridem iam impressum Religio amorẽ, insculptam pectoribus Religiosorũ beneuolentiam, qui nisi Te ipsum odisses, vt posses Religionem nõ amare. Haud duntaxat petentibus satiari corporis alimenta præbueras, verùm etiam inuisibili cibo videlicet verbo de ore Dei procedente, animos satiaueras, demùm ipse Tuæ saluti non pepercisti, vt Religiosorũ salutem intaminatã tuereris; escam Tuam minuisti, vt fratrum impleres indigentias, paterno in omnes transacto fauore protegeres. *Quis autem Patrem petit pànem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem nunquid serpentem pro pisce dabit illi?* Lucæ 11. Te hanc Economiã feliciter regente, Ara in nomine totius Orbis Protectoris ac Operibus thaumaturgis celeberrimi Diui Nicolai, ære ac Largâ dexterâ Illustrissimi Campiductoris Rossiæ extructa, venit ad ornamentum ac vltimam perfectionem. Eloquar ne? an taceam; triumphalem votis ac plausibus tripudiantis Patriæ, in admirandam Regiæq; cœlesti non absimilem, *Hesiod.* præclaram Pieczariensem Lauram introitum! Cygneæ pennæ qua Iupiter olim (si licet sacra miscere profanis) in subscribẽdis felicibus mortaliũ causis vtebatur, est indigendum. Transplantatus es, ab exuberante omnibus felicitatibus Pustinensi Viridario, ad nouum huius Gethsemani hortũ, propter meliorẽ nempe Basilici Nominis fructum, omnisq; odorem beneuolentiæ. Quanta enim in hac Dei Matris Domo in dilatando spatio, in construendis muris hostium cuneis inaccessibilibus, ordine vitæ Religiosæ inculcato, alienum ac totius Patriæ sit iudicium. Inuenisti illinc Religiosos regulã vitæ honestæ beatæq; ducendæ á monte Athon transportatam habentes, non vt minueres sed vt impleres salutari cum incremento. Deniq; huic tantòpere Te totum submisisti oneri, vt quasi nesciens, minimi instar á principijs doceri videreris, potensq; ipse animos ad vias dirigere salutares, normã ostendere, dirigi discereq; putareris

Disordines tanto fastidio habuisti, vt eousq; vitam neglexeris quousq; correctos non reddidisti, faluteq; Tuam deserueris, quousq; bene auctos in rectumq; transmigrantes non fecisti. Meliùs intensiùsq; hic quē admonueras Te adamauerat, quā hic quē dilexeras, plùs rigore quā amicitia & fauore amicos Tibi Fauētissimos cōciliaueras. Si cui cōtigerat piè Săctèq; se gessisse, totum id Tibi imputabat, si cui contigerat peccasse; non timuit vt pœnitentias à Te susciperet, sed ne amorem Tuum plusquàm Paternū amitteret, sperabatq; cum admonitione majorem Tuā Sibi sentijsse clementiam. Muris circūduxisti Lauram, vt curiosus Paterfamilias vineam sepibus, plurimos fructus totius orbis præcordia satiantes continentem, tum desuper influente aureo nimbo, quùm Tuis sudoribus irrigatam quolibet momento vindemiā ex se producentem. Prudens Tua persuasio ac ingeniosum ad Sacra quæq; allicium; tam plurimos mouit Viros muneralitate insignes, vt infortunium sibi existimarent, si aliquando ipsis sacras Ædes, Æraria ad fouendum omnibus mundi regnis cariorem Corporum Beatorum thesaurum, struxisse non contingeret. Modò quoq; spectare licet in illo à Te laborante dilatato spatio, cellas, Religiosorū tabernacula, Aras ad offerendum exsangue sacrificium, tanquam sidera supremæ magnitudinis in cœlesti emicantia Zodiaco, inuidiosis palpebris ad cæcitatem. Orthodoxæ Religioni ad splendorem vitæ & gratiam, oculorumq; delectamētū. Gaude Pieczariense Gazophylacium, quoniam amissâ integris cœlis inæstimabili Gemmâ Empireo Ærario maximè necessaria, videlicet Corpore beatissimo Dei Matris, Beatorum Corpora salutem hominum quotidie à seruitute delicti redimentia fouere Tibi concessū est. Lætare plusquàm Gethsemani Viridarium, cùm decerptâ Tibi ad Elysiosq; campos transplantatâ, illâ immarcescibili Rosâ, Angelorum mentes delectante: vernales hi Flores derelicti fuerint perēne in solatium. *Quasi rosā plantata super riuos aquārum fructificate, quasi Lybānus odorem suauitatis hābete, florete flores, quasi Lilium & date odorem & frondete in gratiam, & collaudate Cānticum & benedicite Dominum in operibus uestris!* *Ecclesia: 39.* Gaudete Cryptæ tot Lumina vestris in vmbris occultantes, cùm alia fiduciæ in Deum alia ieiunij, alia passionis corporeæ, cætera stabilitatis in fide, reliqua vnius cineris & cilicii præcellentis gloriosā Salomonis Chlamidem, illuxerint splendoribus. Triumpha mirabilis Patria, Ciuitas opulenta, mirabiles Ciues tuo nutriens in viscere; sunt, qui bustis & puluere viuos se humarunt cum Ioanne, sunt qui Castitatis Zelo excandescentes, in vulnera totq; discrimina rerum, corpus, vitam tradiderunt cum Moyzi, sunt qui dolores Christi in corpore suo exprimentes, mortem Crucis in spe gloriosæ resurrectionis eius sustulerunt cū Eustratio. Plaude sacer Locus cùm amisso Tui honoris Propugnatore Columnâ Religiosâ Barlaamo, alterum Fulcrum Ioasaphum obtinueris. Venit ab Eremo Ioasaphus omnem fructū secum adferens pulchritudinis. Absit tibi sterilitas iā nouæ Cornucopiæ nouæ messes gratiarum effloruerunt, cùm veniat ab Eremo Ioasaphus. Hîc procul egestas, intulit secum Thesaurum paupertati inexhauribilem:

*Claud: lib: 1. in Probi.*

Quippe uelut densos currentia munera nimbos
Cernere semper erat: populis undare penates
Assiduos intrare inopes: remeare beatos.

Hæc est Tua fortunatissime Antistes Gloria, nam; quemcunq; locū intrâsti, omnes prosperitates Tecū comportasti, cui Te Cœnobio suscepisse contigerat, hoc prototypon Virtutum, exemplar morū,

Religiosæ

Religiosæ vitæ compêdium obtinuerat. Propterea ipsa Scientiarum Regina Alma Sophia, ne ingemisceret crassæ ignorantiæ sub pondere literis expolitum in Te numē conspiciens Sapienti Tuæ tantôpere submisit jugum directioni, vt eousq; auream felicitatē aureâq; lucem ominaretur, quousq; se à Tua non emanciparet seruitute. Quoties amissi Pastoris eximij, tristes deplorauerat exequias, toties Te successorē infallibili omine conspiciens, leuamen suorum dolorum, tristitiarumq; habuerat. Non potuit ferme majorem intulisse ambientibus repulsam, quàm cùm Tibi suffragijs omnium pastoralem commiserit Scipionem : nihilominus hos reiecerat, quám Te fugientem ambiens popoſcerat. Ipse Barlaam uehementi exarsit studio , ut qui Religiosam uitam ab eo accepisti Directionem totius Roxolanæ Ecclesiæ Sortireris, demum in agone vitæ suum votum reuelauit, quod per totum vitæ suæ pijssimæ cursū de Tua post se hæreditate habuit. Dignum iustumq; est filios hæreditarium ius habere supra Parentum possessiones. Credidit ille Patriæ Pater, tum facilem animæ suæ à corpore secessum habuisse, quum Tu successor vitæ eius & Honoris habereris. Postquàm enim resciuerit illius obitū Serenissimus ac Potentissimus Cæsar Moschouiæ PETRVS ALEXIEVICZ Orientis & occidentis hæreditarius Dominus, explicitè illustrem iussit Virtutum talentis, ad huiuscè Potestatem Virum eligendum, implicitè Te omnium meritissimum, tributis insignem hâc dignum censuit Excellentiâ. Quoniam adhuc benignum cor, placidasq; aures de Tuo processu miro, rumoribus auditis præbuerat, quantô magis ad præsens Tibi viso Paternā præstiterat clementiam, mirū Beneficiū, majoremq; animum exhibuit, quàm cùm Tuam præsentiam non nouerit. Non visitauit Vrbem, primam ac amantissimam suorum Majorum Sedem Kijouiam, quin hospitium in Taumaturga Laura apud Te quæsiuerit, Sapientiā Tuam audire concupiscens; ecquidem non potuit satiare Augustū Animum, nisi Tuo ingenioso discursu; quem sibi vt alimentum suauitatis existimauerat. Si Tuum quodq; Verbum honore dignū & gloria æstimauit, nunquid ipsum Te augustis dignum præeminentijs non censeret? quoniam hoc pretio vt caris vectigalibus Rossiæ Infulam adornásse statuit. Neq; ipse Exercituum Zaporouiensium Campiductor Rossiacæ Patriæ Pater, Ducum gloria, habitis in cōspectu Tuis Virtutibus, in apricum non prodere voluit, sed doctè sapienterq; censuit, vt Honoris tanti amplitudo in Tuum deuolueretur sinum. Quippe innata eius mens magnifica, non solùm auro & benignâ clementiâ sacraria, ædesq; Religiosas ditare voluit, verùm etiam optimum ad ordines Fidei Orthodoxæ gerendos, curauit Moderatorem. Exauditis itaq; votis in Te omnium conuersis Spiritualium, intellectis vnanimis sæcularium ordinum consensibus, suo voto grandi, suffragia omnium stabiliuit, & diu luctantes animos sua autoritate & Tuis meritis consūmauit. Deniq; mirandum erat tunc, omnium de Tuo auspicatissimo in Cathedram progressu tripudium, quisq; enim cùm Tuam laudem conspexerit suam putauerat. Ingressus es Vrbem Regnatricem Moschouiam gratiâ Infulam accipiendi, cui pridem Virtus honoraria reddidit, gratiâ Sanctificandi, quem pridem merita in Religione Sanctificârunt, gratiâ coronæ obtinendi; quem pridem gloria Rossiæ imarcescibili Laurea coronauit. Redijsti ad excelsū Tuæ Patriæ Thronum non ut ei Benedictionem Patriarchalem Tecum comportares, Sed vt ipsum Te benedictum, & veluti lapidem triangularem in perenne apponeres firmamentum. Tam æqualis ab

omnibus ex aduentu Tuo lætitia percepta est, quàm omnibus venisti, quæ tamen ipsa cum ingressu Tuo creuit & prope in singulos gradus adaucta est; quoniam non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardauit, quô minùs insolito oculos specta culo adimpleret.

Ingredere ergò Felicissimè Augustum Honoris huius Laticlauii, impotens Te tanta meritorum Virtutumq; capere cum vastitate; cùm nō tā Te elato suo cooperire vertice, quàm sub Gentilitio Tuo Pallio beneficam sibi petere protectionem pridem popofcerat. Baiula trabeatam Infulam, Roxolani Nominis Coronamentum, quæ non tam Tuæ Fronti Sapientissimæ imponit grauitatē, quàm grandem ab ipsa sentiens punctionem, immeritam se fatetur tāta Numina coronare. Suscipe Pastoralem ad Christi oues pascendas Scipionem, hucusq; licèt valore non carentem, hodie plus adhuc, á Tua gemmea Dextera miram æstimationem vendicantem Impone humeris Archipræsuleum apparatum, plusquam Regiam Chlamidē; ītuitu Tuæ īnumeræ Dignitatis magis pudore quàm pretioso murice erubescentem, cùm velut ignem excandescentē flāmis Tuum corpus Zelo & Pietate erga Deum flagrans cooperire videatur, tremebundus ne redigatur in cineres. Torques Regius brachijs impositus non coarctat censûs Tui amplitudinem, nisi solam Obstrixit beatitudinem ad perenne Tibi obsequium; nisi solam obligauit felicitatem ad ministerium, altiores adhuc vnum in cumulum honorum connexuit præeminentias, gratiarum chorum gyrantem in Domum adoreæ interminabilis capturus. Etiam excedens limites Tua Gloria petens aliena climata, extendat se ad innumerabiles excellentiæ eius capaces ambitus, ascendat niueos currus, triūphales rogos, sub Gentilitiū Tuū cumulatos Tentoriū: quod; habitis hic omnis decentiæ splendoribus, in inexhauribile Cœlestis Lumē gloriæ, *vbi Angeli desiderant prospicere*, transfigatur.

A. D. M. D. T. O. M. G.
B. V. M. S. L. O. C.
Honorem.

1 1000